Herbula est dodrantalis, caules exiles fundens, et quernea folia e radice nigra, fibrataque, et cui lanugo quaedam innasci soleat, fovendis, atque excipiendis ignibus aptissima, et flores, ut referunt, candidulos. Radices sunt aliquantisper amarae, et glutinosae.

CAPUT XXIX.

De OMIXOCHITL, *seu Flore osseo.*

Radicem fundit Herba haec bulbosam, et obrotundam, a qua prodeunt caules virides, rotundi, et laeves, et in eis folia porracea, virentia, circa radicem tamen rubeo tincta colore, flores in summo caule candidos, oblongos, nostris-

que Liliis odore similes ; quamobrem Indica Lilia quidam vocant, et in foliola stellarum instar postrema parte divisos , ac circa medium nescio quid sublutei praeseferentes. Radix est frigida , humidaque , et salivosae cujusdam, lubricaeve naturae particeps. Species videtur Narcissi , Veteri incognita Mundo. Radix tumores praeter naturam apposita repellit , febres exstinguit , et fluxus a causa calida ortos retinet devorata. Provenit in frigidis, et temperatis regionibus. Flores adduntur in corollas , et odores.

CAPUT XXX.

De OMEXOCHIPATLI, *seu medicina duorum florum.*

Fruticis videtur species , ab una radice surculosa multos stipites proferens virides , teretes , et laeves, folia Amygdali majora , ac florem exilem , et ex luteo purpurascentem. Odore ferè , et sapore caret. Folia , quae glutinosa sunt , commansa vitiatos dentes emendant , ac eorum sedant dolorem ; tusa verò , ac redacta in pulverem medentur ulceribus recentibus , et antiquis. Frigida est , et glutinosa natura. Provenit temperatis regionibus *Quauhtotollani* , editis , humidisque locis.

CAPUT XXXI.

De TEPANOMIXOCHITL, *seu Omixochitl murali.*

A natalibus locis nomen sortitur, provenit enim circa muros, et parietes. Radices, caules, et folia fundit similia *Matlalin*, ac similiter ad Satyrionum species videtur referenda. Flores sunt e luteo rubescentes, spicatique circa postremos caules. Radices frigefaciunt, humectantque, nullum enim saporem praeseferunt.

CAPUT XXXII.

De TLALOMIXOCHITL.

Multis radicibus innititur brevibus, ac surculosis, Asphodeloque similibus, unde proferuntur breves caules, et in eis Salviae folia. Frigida constat natura, humidaque, et febrientibus apta. Narcisso nostrati videtur congener.

CAPUT XXXIII.

De TLALOMIXOCHITL *altera.*

Radici insistit brevi, et fibratae, e qua folia prodeunt saligna, caulesque, et in summa eorum parte flores oblongi, et candentes, vasculorum figura. Odora est, ac secundo ordine exsiccans, atque calefaciens. Nomen invenit a similitudine florum cum illis *Omixochitl.*

CAPUT XXXIV.

De OMIMETZTLI, *seu osse femoris.*

Radicem fundit teneram, crassam, longam, candentem, et fibratam, saporisque, et odoris expertem, glutinosam, et frigidae humentisque temperiei, et ex his caules purpureos, tenues, ac volubiles, folia Ocymi paene figura, et nonnihil undulata, ex viridi purpurascentia; flores in postremis ramis ex candido pallescentes, et exiles, ex quibus fiunt vascula obrotunda, semine referta. Radix ossa luxata reducit, fracta consolidat, locisque corporis casu, aut ictu concussis applicata fert opem, confert saniem mejentibus; dolores tollit, ac repellit praeter naturam tumores. Vocant eamdem Plantam *Otomitae Tunquiyeti*, alii *Poztecpatli*, alii *Potequizpatli*, alii *Tlalhuapatli*. Provenit editis locis, montosisque *Temiltzincinci*, *Ocpayocani*, *Oapani*, et *Tototepeci*, nonnihil variante forma.

CAPUT XXXV.

De OMICOCOLIZPATLI, *seu medicina morbidorum ossium.*

Ita vocant *Hoeitlalpenses* Herbam quamdam *Tomiciplanae* similem, sese convolventem Arboribus; quae ossa fracta consolidat ebibita, aut applicata.

CAPUT XXXVI.

De OMIXALPATLI, *seu ossis arena.*

Frutex est caules edens virides, sarmentosos, tenues, et volubiles, e radice fibrata, crassaque, folia magna, cordis figura, sed magis acuminata. Sapore est acris, anethino haud dissimilis, et odor suavis. Jus decocti ejus flatum discutit, viscera calefacit, obstructiones aperit, pellit rigores, sudorem evocat, et alia hujusmodi praestat juvamenta. Nascitur *Hoeitlalpae.*

CAPUT XXXVII.

De OXITLACOTL, *seu virga resinosa.*

Herba est radicem fundens rotundam, albam, surculosamque, unde funduntur multi caules, aliquantulùm fulvi, hominis longitudine, folia Mali Persici, sed longiora. Odora Planta est, et tertio gradu calefaciens. Jus decocti radicis epotum aperit obstructiones, coctionem juvat, et satietati medetur.

CAPUT XXXVIII.

De OLOPIO *Mecatlanico.*

Arbor est magna, comataque, fructum proferens oblongum, umbilicatum juxta medium, pallentem, ac grati saporis, sed adeo obnoxium vitio, ut non possit integer longiùs adferri, claudentem intra se ossicula parva, et no-

men sui Arboris sortitum, ac folia magna, et oblonga; nec aliquid, quod spectet ad Medicinam, de ea Arbore accepi.

CAPUT XXXIX.

De OCUILPATLI, *seu Lumbricorum medicina.*

Herba est e surculosa radice tenues, ac multos proferens caules, ramulis refertos, quos ornant folia *Mizquitl*, Rutaeve, ex utraque eorum parte serie quadam disposita. Jus decocti infusum satietati medetur, ac Lumbricos pellit, quos adesse testantur, quando aut facies tumet, aut defluunt capilli. Calida est, et sicca gradu tertio, ac foetidi odoris. Provenit humidis in locis, ac faucibus montium *Hueitlalpae*.

CAPUT XL.

De OCUILTONANPITZAHOAC.

Radici insistit surculosae, ex qua tenues edit ramos, et in eis folia tenuia, parvaque, et orbiculares, luteos, ac pilosos flores. Amara est, et tertio ordine calens. Cortex radicis tusa, et oculis inspersa carnem superexcrescentem eorum absumit, ac gravibus febribus vacuata fortassis materia dicitur mederi devorata. Nascitur in collibus Arborum expertibus frigentium regionum, qualis est *Tlaxcallensis*, necnon apud *Huexotzincenses*.

CAPUT XLI.

De OCUILTLACOTL, *seu lumbricorum sude.*

Radicem fundit surculosam, firmamque, caules laeves, teretes, et fulvos, ac sex spithamas longos, flores subluteos, exiles, et in spicas compositos; tota verò Planta adeo similis est *Zacatlachichinoae*, ut eamdem illi esse, solummodo differentem natalibus, aut congenerem suspicer. Mederi verò ajunt intertrigini. Nascitur in calidis *Johalani* locis juxta montium radices.

CAPUT XLII.

De TEOCUILIN, *seu saxeis vermibus.*

Spectanda constat Herbula haec forma: truncos enim initio mittit velut geniculatos, aut squamiferos, et circulis quibusdam Palmarum instar praecinctos, qui capillis undique prodeuntibus radicantur statim terra solùm attacta; ex eisdem prodeunt folia cordis figura, rara, necnon et cauliculi, ni fructus vocare malis piperi longo persimiles. Herba est gustu odora, acrisque, calida, et sicca ordine tertio, aut fortassis quarto. Laevigata haec, atque inspersa vulneribus egregiè medetur, flatum dissipat, ventris sedat dolorem infusa, viscerum frigus pellit, hydropem sanat, urinam evocat, aliosque hujusmodi praestat usus. Subtiles

Es el Teocuilin una yerbecilla que consta de una maravillosa forma, pues al principio arroja unos troncos, como nudosos y escamosos, ceñidos de ciertos anillos á manera de las palmas, los q.e brotando por donde quiera unos cabellitos, hechan al punto raizes en la tierra, con solo el contacto de ella: de los mismos salen las hojas con figura de corazon, raras, y unos tallitos, si no es que mas bien los llamemos frutos, semejantes á la pimienta larga. La hierba es olorosa al gusto, acre, caliente y seca en el orden tercero, ó acaso en el quarto. Rasgada y aplicada á las heridas, las cura portentosamente, disipa el flato, aplaca los dolores de vientre, arroja el frio de las entrañas, sana la hydropesia, llama la orina, y facilita otros usos semejantes. Tiene unas partes subtiles, y nace en las peñas de los lugares humedos y calientes.

sortitur partes, et innascitur saxis locorum humidorum, atque calidorum.

CAPUT XLIII.

De OCUILPATLI *Yanguitlanensi.*

Fibris insistit Ocuilpatli *Yanguitlanensis*, unde oriuntur caules multi, tres dodrantes longi, tenues, ac teretes, et in eis folia longa, et angusta, Olivae similia, et flores pallentes. Radices sunt amarae, atque subdulces, participantes nonnullam siccitatem, et calorem. Lumbricos dicuntur interficere, et curare dysenterias duarum drachmarum pondere devoratae. Nascitur in frigidis *Yanguitlanensibus.*

CAPUT XLIV.

De OCUILPATLI *Tepuzculullae.*

Radicibus firmatur helleborinis, unde profert pennatos, complanatosque, et ternos dodrantes longos caules, et in eis folia Sonchi, longa, tenuia, angulosa, spiniferave, et flores modicos, et candentes. Radix est initio dulcis, et nonnihil lubrica, deinde verò amara, et acris. Calida, siccaque ordine tertio natura constat. Radices trium drachmarum pondere bis die epotatae lumbricos pellunt. Nascitur in frigidis *Tepuzculullae.*

CAPUT XLV.

De OCUILPATLI *Tepuzculullae altera.*

Radicibus insistit helleborinis, tenuioribus tamen, unde edit caules ternas spithamas prolixos, teretes, et tenues, et in eis folia Lini, longa, et angusta, flores in cacumine Chamaemelo similes. Folia sunt amara, calidaque, et sicca gradu tertio. Eadem duarum drachmarum pondere devorata pellunt lumbricos, ventrisque leniunt dolorem. Nascitur in frigidis *Mistecae* superioris.

CAPUT XLVI.

De OCUILPATLI *tertia.*

Radicibus insistit Hellebori, unde mittuntur caules, et in eis Salicis folia, flores candentes, et magni. Calida est, siccaque ordine tertio natura, amara, acri, et guttur paululùm urenti. Radices laevigatae, atque devoratae ex aqua unciae unius pondere lumbricos, ut nomen indicat, interficiunt, ac pellunt. Nascitur in planis, temperatisque locis *Mistecae* inferioris juxta fauces montium.

CAPUT XLVII.

De OCUILPATLI *quarta.*

Radicibus surculosis innititur, unde profert caules sesquidrodrantales, et in eis folia Ocymi, quae calida, siccaque sunt ordine tertio, amaraque, flores verò albos, et modicos. Jus decocti foliorum, ut indicat nomen, lumbricos pellit. Nascitur in collibus regionum calidarum *Mistecae* superioris.

CAPUT XLVIII.

De OCUILCHICHILPATLI.

Radicibus innititur fibris similibus, unde profert caules, et in eis folia obrotunda, et coccineos flores. Amara est, calefacitque, et exsiccat ordine tertio. Nascitur in temperatis *Mistecae* superioris.

CAPUT XLIX.

De OCUILPATLI *Mistecae superioris.*

Radici fibratae insistit, unde profert caules rotundos, dodrantem ferè longos, tenuesque, et in eis folia Ocymi, minutissimè serrata, et flores albos. Amara est, odora, calidaque, et sicca gradu tertio non sine quadam acrimonia.

Lumbricos pellit semunciae pondere devorata. Nascitur in collibus temperatis.

CAPUT L.

De OCUILPATLI *Huaxacensi.*

Radicibus insistit helleborinis, unde prodeunt caules, et in eis folia Ocymi, ac flos nullus. Radices tusae, et unius drachmae pondere matutino devoratae solvunt alvum, ac lumbricos pellunt. Nascitur in planis, temperatisque *Huaxacensis* agri locis juxta montium fauces.

CAPUT LI.

De OLOPATLI, *seu medicina rotunda.*

Olopatli, quam alii *Oloxihuitl* vocant, Arbuscula est vix superans hominis altitudinem, calyci similis, sed rotundis flosculis, luteis, et compositis in comas, pilosis, et in pappos abeuntibus. Calidis, et frigidis *Tilanci* locis provenit, juxta fluvios, et aquosa loca. Radix est humens, salivosaque non sine quodam calore, et amaritudine: expertum tamen est adversùs urinae acrimoniam magnopere conferre quatuor drachmarum mensura ex aqua epotatam bis quotidie.

El Olopatli, que otros nombran Oxihuitl, es un arbusto que apenas exede la altura de hombre, semejante al erizo de la castaña, pero de unas florecillas redondas, amarillas, velludas lanuginosas. Nace en los lugares frios y calientes de Tilanco, junto à los rios y à los parages llevan agua. La raiz es humeda y salivosa, no sin algun calor y amargura. Se ha esperimentado que tomando dos veces al dia el peso de quatro dracmas en agua, sirve de grande auxilio contra la acrimonia de la orina.

CAPUT LII.

De *OCUILPATLI Tototepecensi.*

Radicibus adhaerescit fibratis, unde edit caules spithamaeos, tenues, et teretes, et in eis folia Ocymi, sed angustiora, et flosculos in stipitum procursu juxta foliorum exortus candentes, aut nonnihil luteos. Radix videtur in quemdam calorem inclinare, et amaritudinis quidpiam praeseferre; atque ita ferunt ex aqua resolutam, et sex obolorum pondere devoratam lumbricos et occidere, et pellere. Provenit in calidis, et planis locis.

CAPUT LIII.

De OMITZAPOTL, seu Tzapotl osseo Tototepecensi.

Arbor est foliis *Cochiztzapotl*, floribus candidis, et modicis, fructu verò simili fructui *Cacaoaquahuitl*, sed minori. Amara est, et virus effundens grave, calidaque, et sicca ordine tertio natura. Dolores ventris infantium a frigore, aut flatu ortos sedat semen tusum, ac bibitum ex aqua, quod inter omnes partes praedictum saporem, et odorem ostendit. In calidis collibus, et montium cacuminibus exsultat.

CAPUT LIV.

De OCUILPATLI *Tototepecensi altera.*

Radicibus tenuibus adhaerescit, unde fundit caules geniculatos, caeruleosque, et ab eis pediculos longos, quibus appendent folia, statim, cùm emarcuere, pallescentia, ferreisque hastarum similia mucronibus, mediocris magnitudinis, ac florem, ut ferunt, nullum. Acris est, et calens ordine quarto. Jus decocti vomitu pituitam purgat, bilimque; atque ita mederi ajunt interpellatis febribus, ventris tineas pellere, ac dolorem ejusdem sedare. Gaudet nasci in temperato solo saxosis, asperisque locis, et montium faucibus.

CAPUT LV.

De OCOXOCHITL *Tgualapensi.*

Herba est parva, foliis salignis, sed minoribus, et angustioribus, et floribus fulvis. Odoribus inservit ipsa, ejusque stillatitius liquor; Lotum enim urbanam olet haud aliter, ac *altera Ocoxochitl*, de qua in superioribus dictum est; quamobrem depingendam curavi, etsi nihil adhuc accepe-

rim de ea, quod humanae saluti sit ex usu. Nascitur in calidis, humectisque locis.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER DECIMUS QUINTUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De PALTIC, seu madida medicina.

Radicibus firmatur Paltic surculosis, e quibus profert caules striatos, et candentes, folia magna, et interveniis rectâ procurrentibus insignia. Frigida est, ac febres devorata sedat.

CAPUT II.

De PIPITZAHOAC, seu Herba exilium radicum.

Herba est radicibus innixa fibrarum, Helleborive instar, unde sumsit nomen, e quibus profert caules fulvos, stipatos foliis longiusculis, et angustis, salignis proximis, sed

longè minoribus, flores in supremis caulibus luteos, et in parvas umbellas compositos, flavos, et orbiculares, nodorumque, aut spondylorum obrotundorum forma. Radix est acris, et lubrica, calidaque, et sicca ordine quarto, et guttur urens. Bilim, pituitamque vomitione, aut alvo excitata detrahit semunciae devorata pondere, tussique, et vetustis medetur plagis. Nascitur in calidis *Quauhquechullae*. Sunt, qui Herbam *Nunnii de Chaves* ab inventore vocent.

CAPUT III.

De PIPITZAHOAC *altera.*

Radices agit tenues, et longas, unde nomen, et ex eis caules purpureos, teretesque, ac lineis secundùm longitudinem procurrentibus distinctos, flores coccineos, quos edit circa finem Decembris, folia Raphanum sylvestrem quadantenus aemulantia, *Zazanacamve*, aspera, multa, serrata, ac frequentibus nerveis discursibus insignia, unde quidam *Pipitzahoacxiuhpatlahoac* vocant. Radices sunt urentes, amari saporis, subtilium partium, et quarto excalfacientes ordine cum siccitate. Tumores colli, gutturisve, et quoscumque alios praeter naturam discutiunt folia terna tusa, atque imposita: verùm solet eodem tempore radix scriptuli unius mensura resoluta ex aqua propinari additis decem granis *Cacaoatl*. Nascitur in collibus *Amaquemecae*, regione nempe

frigida, non plurimùm ab Aetna Mexicana distante.

CAPUT IV.

De XIOPATLI, *seu leprae medicina.*

Frutex est radicibus insistens lignosis, surculosis, et multis, candentibus internè, extra verò fulvescentibus, ex quibus prodeunt caules geniculati, multi, laeves, atque virentes, teretes, digitali crassitudine, ac quaternos prolixi cubitos; in eis verò Mori folia, longè tamen ampliora, aspera, et serrata. Tusa folia, illitaque lepram, et lichenas curant, atque absumunt, praecipuè si aegrotus ducatur in balneum post hujusmodi adhibitam curationem, quod Indi vocant *Temazcàlli.* Nascitur *Hoeitlalpae* humidis locis, montiumque faucibus juxta aquas. Frigida verò, siccaque temperie constat, glutinosa, ac nonnihil adstringenti.

el Xiopatli es un arbolillo que se levanta de unas raizes leñosas, llenas de sancos, y en abundancia, blancas por dentro, y por fuera pardiscas, de las que salen los tallos nudosos, los que son muchos, lisos, verdes, redondos, del grueso de un dedo, y recortados á lo largo de quatro en quatro. Las hojas, como las del Moral, pero mas largas, asperas y dentadas. Machacandolas y untadas curan y consumen la lepra y los empeines, principalm.te si despues de la curacion llevan al enfermo al baño q.e los indios llaman Temazcal. Nace junto á las aguas en los lugares humedos y cañadas de Hoeitlalpan. Goza de temperatura frigida y seca, y es glutinosa y un poco astringente.

CAPUT V.

De PAPACONI, *seu Herba grata.*

Herba est Verbasco nostrati persimilis, in cujus species videtur posse commodè referri, foliis magnis, mollibus, subalbidis, et hirsutis, floribus in summis caulibus, qui quadrati, striati, albi, et arenosi sunt, candentibus, comantibus, hispidisque, et intrinsecùs vergentibus in luteum, et pediculis subalbidis, ac velut refertis arena, qua tractata

El Papaconi es una yerba mui semejante á nro. gordolobo, á cuia especie puede facilm.te reducirse: sus hojas son grandes, medio blancas, vellosas y blandas. En lo alto de los tallos, q.e tambien son blancos, quadrados, estriados y granujientos, se dexan ver las flores, blancas igualm.te floridas y velludas, y que por dentro tiran á amarillas, y q.e nacen de unos pediculos blanquiscos, y como llenos de granos, los q.e tocados ensucian las manos. Es de un olor suave y de naturaleza seca y astringente, no sin algun calor. Cura

las heridas antiguas y recientes: nace en Chiautla, en donde la encontramos y dibujamos.

inficiuntur manus. Odore gravi constat, siccaque, et adstringenti non sine quodam calore natura; medeturque vetustis, ac recentibus plagis. Nascitur *Chiauhtlae*, ubi eam offendimus, atque descripsimus.

El Piltzinteuhxochitl primero es una yerba, que sube á quatro palmos de altura, de hojas, no dentadas, sino como las del sauz, tallo nudoso, purpureo, del grueso del meñique y liso; raizes á manera de cabellos; flores en lo alto, encarnadas por fuera, y por dentro blancas: vainillas semejantes á las del chile, llenas de una semilla comprimida y larga, blanca, y tirando á parda. Es amargo, y de un olor fuerte, que aun al gusto se percibe, y de temperatura caliente. La corteza del tallo, es algo dulce, y no mui fétida. El caldo de su infusion, expele el flato, arroja el frio, mitiga los dolores, y limpia los intestinos. No la dibujamos, por no habernos referido de ella los indios otra qualidad sobresaliente.

CAPUT VI.

De PILTZINTEUHXOCHITL, *seu Flore filii Principis, aut Dei prima.*

Herba est quatuor dodrantes longa, foliis minimè serratis, salignis, caule geniculato, purpureo, minimi digiti crassitudine, ac laevi, radicibus capillorum instar, floribus in summo, extra coccineis, intra verò pallescentibus, siliquis *Chilli* haud dissimilibus, candenti refertis semine, vergente in fulvum, compresso, atque oblongo. Amara est, et gravis odoris, quem spirat gustata, et calentis temperiei. Cortex autem caulis aliquantulùm dulcis est, nec adeo foetidus. Jus decocti infusum, illitumve flatus discutit, ac dolores lenit, frigus pellit, et emundat intestina; sed quia nihil insigne de ea Indi narraverunt, non curavi delineandam.

CAPUT VII.

De PILTZINTEUHXOCHITL *altera.*

Frutex est folia proferens Ulmi, sed minora, coccineos flores, in corymborum formam compositos, caules

La segunda especie es un arbusto que da unas hojas, como las del olmo, pero menores; las flores encarnadas, dispuestas al modo de los racimos de la yedra, los tallos quadrados, leñosos, aridos, de una medula pegajosa, llenos de espinas y verdes, aunque las puntas suelen pardear, y unos racimos de color verde, á la manera del tomate, ó solano. Las hojas espiran un olor fuerte, como el de la Guaiacra, ó Nalnotl, son calientes en el orden tercero, y dotadas de virtud desecante. El sahumerio, ó vapor de ellas es conducente para detener el rigor de las fiebres y mitigar el dolor de cabeza. El polvo cura la tiña, la lepra y los empeines, ó hechado en la parte afecta, ó bebiendo el peso de dos dracmas, y el vapor es bueno para los afectos uterinos. Nace en los parages montuosos y

calientes de Acatlicpan y Teocaltzingo, en donde de ningun modo hai espinas.

quadratos, lignosos, squallidos, ac lentae medullae, spiniferos, et virentes, sed subfulvos juxta cacumen, acinosque Solani more viridi colore tinctos. Folia gravem odorem spirant, *Guajavae*, aut *Xalxocotl* minimè dissimilem; calidaque, et exsiccante vi ordine tertio sunt praedita. Suffitus eorum confert febrium rigoribus ablegandis, et leniendis capitis doloribus. Pulvis medetur psorae, leprae, et impetigini illitus affecto loco, aut duarum drachmarum pondere epotatus, uterinis verò affectibus ipse vapor. Nascitur montosis, et calidis locis *Acatlicpacensibus*, et *Teocaltzincensibus*, ubi minimè spinifera provenire solet.

CAPUT VIII.

De tertia PILTZINTEUHXOCHITL, *seu Olotlacotl.*

Frutex est folia proferens lata, aspera, et hirsuta, stipites quadratos, squallentes, et sarmentosos, florem orbicularem, candentem, compositum in corymbos, similem *Oloxochitl.* Folia olent adipem, cui Nardus Italica permista sit, qualis luxatis ossibus solet adhiberi, aut bellaria e farina triticea, caseo, et Mentha consueta parari. Vis est Italicae Nardi.

La tercera especie, q. tambien llaman Olotlacotl, es un arbusto de hojas anchas, asperas y velludas; tallos quadrados, palidos y sarmientosos; flor redonda, blanca, como los racimos de la yedra, y semejante al Oloxochitl. Las hojas huelen á pomada de nardo italico, que suele emplearse para la dislocacion de huesos, ó á la confitura que se acostumbra preparar de harina de trigo, queso y yerbabuena. Su virtud es la misma que la del nardo de Italia.

La quarta especie es una Yerba, que de raizes parecidas á los cabellos, arroja unos tallos de quatro en quatro de un palmo de altura, verdes, lisos, redondos, y flexibles: las hojas son como las del limon, y distinguidas por una multitud de venitas, y la flor amarilla y menuda. De los cohollos de las hojas divididos y macerados, fluie una leche portentosa para curar las ulceras putridas, y conglutinar las heridas frescas. Es de naturaleza fria, y algo glutinosa, y no tiene olor, ni sabor sobresaliente. Nace en las regiones calientes de Papaloticpac, ya en las alturas, y ya en los valles, pero siempre en suelo humedo y de manantiales.

CAPUT IX.

De PILTZINTEUHXOCHITL *quarta.*

Herba est e radicibus capillis similibus caules proferens quaternos dodrantes longos, virides, laeves, teretes, tenuesque, folia Mali Medicae, et multis distincta intervenìis, ac florem luteum, et exilem: ex foliorum pediculis discissis, fractisve lac effluit ulceribus putridis curandis mirabile, et conglutinandis plagis recentibus. Frigida constat natura, nonnihil glutinosa, et odore, saporeque insigni nullo. Nascitur in calidis regionibus *Papaloticpaci*, sive editis, sive humilibus locis, udis tamen, atque humore manantibus.

CAPUT X.

De PILTZINTEUHXOCHITL *Arbore.*

Arbor est ramosa, mediocris magnitudinis, foliis Mali Medicae, sed amplioribus, caule geniculato, laevi, ac molli medulla, velut Ficus, referto, ac floribus candidis. Cortex stipitum sapit Carduorum fructus, calefacitque secundo gradu, aut ampliùs: acris enim est, et gustu odorus. Folia tusa, illitaque placare dicuntur febres; sed quia calida etiam sunt, credendum est id praestare evocatis humoribus, aut rigoribus depulsis, ni malis intensiorem calorem placare, et causam facientem morbum incidere, atque concoquere.

La quinta especie es un arbol ramoso de mediano tamaño: sus hojas son como las del limon, pero mayores: el tallo nudoso, liso y lleno de una medula suave, como el higo, y las flores blancas. La corteza de los tallos sabe al fruto del cardo, y es caliente en segundo grado, ó algo mas: es de un gusto fuerte y oloroso. Las hojas molidas y untadas se dice que apagan las fiebres; pero siendo calidas tambien, debemos creer que obran, llamando los humores, y expeliendo la fuerza, sino es que mejor digamos, que aplacan lo mas intenso del calor, y que cortan y cuecen la causa, ó humor, que origina la enfermedad.

CAPUT XI.

De PALANCAPATLI, *seu ulcerum medicina.*

Radicem fundit Palancapatli magnam, stipites volubiles, et longos, sarmentosos, atque per intervalla geniculatos, contortosque, et folia Solani. Radix redacta in farinam, inspersaque putridis ulceribus medetur, unde sortita est nomen; extergit siquidem sordes, carnem instaurat, et recreat, ac cicatricem obducit. Est autem vis radicis frigefaciens, et exsiccans.

El Palancapatli hecha una raiz grande, los tallos flexibles y largos, sarmientosos y à trechos con nudos y retorcidos, y las hojas del Solano. La raiz en polvo y esparcida, cura las ulceras putridas, y de esta qualidad tomò el nombre, limpia las inmundicias, instaura y recrea la carne, y cubre las cicatrices. La virtud de esta raiz es frigida y desecante.

CAPUT XII.

De PÁLANCAPATLI *altera.*

Est et Herba altera ejusdem nominis radicem fundens longam, et candentem, crassamque, si reliquis conferatur partibus, cauliculos multos, teretes, tenues, ac modicè purpureos, folia Hypericonis, sed minora, et minimè perforata, floresque rubeos, ac parvos. Pulvis ejus albumini ovorum permistus curat ulcera, conglutinatque, et demum cicatrice obducit.

Hai otra yerba del mismo nombre, que hecha la raiz larga y blanca, y aun gruesa, si se compara con las demas partes, muchos tallos redondos, delgados y medianam.te purpureos, las hojas del Hypericon, pero menores, y no agujeradas, las rosas encarnadas y pequeñas. El polvo mezclado con clara de huevo, cura y une las llagas, y cubre finalmente la cicatriz.

CAPUT XIII.

De PALANCAPATLI, *quae et Tonalxihuitl dicitur.*

Radici insistit crassae, et rotundae, e qua fundit caules geniculatos, purpureos, tenues, teretesque, folia pro-

Hai otra especie, q.e llaman Tonalxihuitl, que de una raiz gruesa y redonda hecha tallos nudosos, purpureos, delgados y redondos: las hojas largas y tenues, que imitan à las de la algarroba silvestre, y las flores pocas y blancas. La raiz cura las ulceras putridas. Nace en los lugares campestres de las cercanias de Mexico. Parece de un mismo genero que la anterior en la forma y naturaleza.

lixa, et tenuia, Aphacae sylvestris folia imitantia, et flores candentes, modicos. Radix medetur putridis ulceribus. Provenit locis campestribus agri Mexicani. Congener videtur praecedenti cùm forma, tum etiam natura.

CAPUT XIV.

De POXAHOAC, *seu Herba lenta.*

Herba est caules fundens ex albo rubescentes, sarmentosos, ac per intervalla geniculatos, et in eis folia vitiginea, radicem unicam, glandi, aut Asphodelo similem; quae tusa, atque devorata unciae unius mensura semen retentum pellit. Fructu dicitur carere, et flores edere pariter rubescentes ex albo.

CAPUT XV

De POZTECPATLI *Mecatlani, seu fracturarum medicina.*

Radicem transversam, et fibratam agit, et ex ea caules digitum crassos, geniculis interceptos, teretesque, et e singulis nodis bina folia Mali Persicae similia, sed infernè coccinea, flores verò quinque constantes foliis rubescentibus, eadem forma, sed longè minoribus, ac orbiculo circa medium pallescenti. Sapore, et odore insigni caret, frigidaque, sicca, et adstringenti, non sine quadam asperitate, natura constat. Caules, foliaque tusa, et icto loco impositâ

tumorem arcent, nec minùs bibita conferunt, et, ut nomen indicat, luxatis, praefractisque ossibus medentur. Nascitur *Mecatlanico* agro.

CAPUT XVI.

De PATLAHOACXIHUITL, *seu Herba latifolia.*

Surculosis radicibus constat, ex quibus multos porrigit caules, longos, sarmentosos, et tenues, in eisque folia tenuia, cordis figura, magnaque, unde nomen, et florem piperi longo haud dissimilem. Odoro constat gustu, calidaque, et sicca ultra gradum secundum natura. Jus decocti ejus dolori ex frigore, aut flatu orto opitulatur. Pulvis naribus infusus sternamentum ciet, tractaque pituita capitis lenit dolorem; frigidisque, et montosis locis nascitur.

CAPUT XVII.

De PATLAHOACXIHUITL *altera.*

Species est Filicis similis alteri ex eis, quae supra imaginibus expressae sunt, eadem natura, et viribus; quamobrem non curavimus delineandam.

CAPUT XVIII.

De PATLAHOACATLINAM, *seu aquarum parente latifolia.*

Radicem fundit lignosam, et fibratam, folia squallida,

hirsutaque, et Limonis forma, et magnitudine, caules ternas spithamas longos, ac flores luteos, Septembri mense micantes. Frigida, humentique constat natura, et sapore, et odore ferè nullo. Medetur ulceribus oris, ac dentes in pulverem redacta, et applicata confirmat. Nascitur *Tohalani* juxta aquas.

CAPUT XIX.

De PAPATLAHOAC.

Radicem fundit crassiusculam, teretem, et fibratam, unde prodeunt multi pediculi, longi sesquidodrantem, et ex eis folia ampla, et serrata, cordis figura, et dorsi purpurei, flores verò, fructusve, ut referunt, nulli. Herba est odorata gustu, paululùm amara, acris, calidaque, et sicca ordine tertio, et subtilium partium. Radix tusa, et redacta in pulverem devoratur semunciae pondere ex vino *Metl* adversùs articulorum dolores; nam sudore copiosè evocato sanitati aegrotantes restituuntur: verùm senis transactis diebus mos est Indis ducere aegrotantes in balneum aëreum, quod ipsi vocant *Tematzcalli*.

CAPUT XX.

De POCXIHUITL, *seu Herba fumosa.*

Radicibus firmatur surculosis, longis, et rubescentibus, e quibus fundit caules geniculatos, itidem rubeos, folia

Limonis, flores in stipitibus extremis pallescentes e viridi, et persimiles capitibus Corrudae. Radix est Medicinae utilis, temperati caloris, et saporis, ad dulcedinem pertinentis. Epotae hae drachmae unius pondere frigora, atque horrores febrium dicuntur tollere, et munda jam corpora firmare, roborareque; cujus rei gratia majori ex parte solet ab Indis devoranda exhiberi. Nascitur in montibus Mexicanis.

CAPUT XXI.

De PILPECHTLI, *seu herois lecto.*

Volubilis genus est arbores scandens excelsas, et cùm pervenit ad summum, alias connectens aliis; stipites sunt striati, ac geniculis palmitum instar intercepti, e quibus per intervalla prodeunt folia magna, lataque, cordis figura, serrata, et radices fibrarum instar. Expressus succus bibitur adversùs venenatorum animalium morsus mensura decem unciarum. Temperatis constat viribus, provenitque locis calidis *Hoeiacocotlae.*

CAPUT XXII.

De PANXOCHITL, *seu Flore vexilli.*

Radice firmatur candida, lacte mananti, ex qua profert caulem tres prolixum cubitos, folia Olivae, tenuiora tamen, et serrata, amarique saporis, et flores longiusculos,

rubeosque, aut pallentes. Radix in laevorem redacta, atque ex aqua ovi putaminis mensura ebibita, aut infusa laesam membrorum motionem restituit, laxat nervos contractos, luem Gallicam curat, et articulorum doloribus medetur. Calida, et sicca juxta tertium ordinem natura constat, potestque viribus valenti manè, et serò citra noxam ullam exhiberi. Provenit in frigidis *Tototepecensibus*, praeruptis, atque humidis locis.

CAPUT XXIII.

De PHEHUAME, *seu medicina ad partum accomoda.*

Quam *Mechoacanenses* PHEHUAME vocant, apud quos copiosè provenit, Dioscorides noster Aristolochiam clematiten nuncupat; tamen quoniam neque illam apud alterius Orbis colonos pictam, aut vivam mihi unquam videre contigit, et huic Orbi familiaris est, delineandam curavi, additis praeterea eis usibus, quos hae gentes, et nunc demum ego ipse experimento comperi. Ergo volubilis Planta est, folia ferens cordis figura, sed tamen minora, flores purpureos, ceteris generibus Aristolochiae similes, radicem crassam, longam et suberneo cortice vestitam. Hujus est praecipuus in Medicina usus, ut quae odora valde sit, acris, calidaque, et sicca ordine tertio temperie, ac subtilium partium. Jus decocti, si eadem cura, qua Chinae, aut Zar-

zaeparrillae solet, paretur, aut eisdem misceatur, et persimili quoque victus, ceterarumque rerum, quas vocant non naturales, institutione exhibeatur, quemvis frigorificum affectum, aut a lue Hispanica profectum mirè curat, tussi antiquae, asthmatique medetur, flatum discutit, comminuit lapidem renum, et vesicae affectibus ex frigore ortis succurrit, dolores capitis, et quosvis alios, qui inveterati sunt, tollit, vitiatum colorem emendat, menses trahit, partum accelerat, reserat obstructiones, ac frigus pellit: eadem radix duarum drachamarum pondere humores crassos, ac lentos, sed praecipuè pituitosos vacuat, quemadmodum ceterae congeneres, quod antiquos latuisse puto. Habetur haec Planta maximi ab indigenis, et computatur inter saluberrimas. Nascitur temperatis, frigidisque regionibus *Mechoacanensibus*; quo fit, ut conjectem facilè posse ad loca Hispaniarum temperata, aut paululùm calentia transferri. Est et alterum genus *Phehuame* vocatum *minus*, nonnihil forma differens, sed eisdem facultatibus constans, fibrata radice, foliis minoribus, et capreolis quibusdam sese hinc, et inde convolventibus; cujus jus decocti narratur inter reliqua ictibus scorpionum mirè prodesse.

CAPUT XXIV.

De PEYOTL *Xochimilcensi.*

Peyotl, seu *nitens medicina*, radicem fert crassam, teretem, et obductam lanugine praeter alias juglandibus similes forma, atque magnitudine, ab omnium maxima hinc, et inde prodeuntes; caulem viridem, unicum, teretem, ac lentum, folia rara, Pyri foliis haud dissimilia, pediculis purpureis appensa, flores circa caules postremos luteos, ac calycibus contentos scariosis. Frigida est ejus temperies; atque ita radix ejus bibitur adversùs febres drachmae unius pondere, necnon adversùs ventris fluxum.

CAPUT XXV.

De PEYOTL *Zacatecensi, seu radice molli, et lanuginosa.*

Radix quaedam est mediocris, nullos proferens ramos supra terram, foliave, sed lanuginem quamdam ei adhaerecentem; quamobrem a me non potuit aptè delineari. Ajunt marem, faeminamque offendi. Dulcis videtur gustu, ac moderati caloris. Tusa, admotaque doloribus articulorum dicitur mederi; illud ferunt de hac radice mirabile (si modo fides sit vulgatissimae inter eos rei habenda) devorantes illam quodlibet praesagire, praedicereque; velut an sequenti die hostes sint impetum in eos facturi? anne illos felicia ma-

neant tempora? quis supellectilem, aut aliud quidpiam furto subripuerit? et ad hunc modum alia, quibus *Chichimecae* hujusmodi medicamine student cognoscendis. Quin radicem ipsam intra terram abditam, et nascentem investigaturi, ubinam offendenda sit, altera perdiscunt devorata. Nascitur humidis in locis, et quae calcis participant naturam.

CAPUT XXVI.

De POPÓLI *Quauhtepecensi, seu Herba subacta.*

Frutex est humilis radici firmae innixus, surculosae, fibrataeve, unde prodeunt caules rutaceis ornati foliis, paulò longioribus, et floribus exilibus, et candentibus. Frigida constat natura, et tumores praeter naturam repellit. Gaudetque temperatis locis.

CAPUT XXVII

De QUAPOPOLTZIN, *seu montanis scopis.*

Herba est fibratis radicibus innixa, unde prodeunt caules purpurei, et in eis folia longa, et angusta, ac flores in summis ramulis virentes, et congesti in acervos. Calida natura constat, urinam evocat, et febrium intermittentium rigoribus medetur, ipsisque febribus, aut evocato sudore, aut causa quomodolibet aliter vacuata. Nascitur *Xalatlauhci*, et in agris Mexicanis haud uno in loco provenire solet.

CAPUT XXVIII.

De TEPÓPOL.

Radices fundit fibris similes Tepópol, seu *Herba saxosi loci*, tenues, et nigras, ex quibus multi caules oriuntur exiles, fulvi, teretesque, et duos cubitos longi, foliis squallidis, serratis, parvisque, et ocyminis similibus referti, flores circa summos ramos odori, et ex albo rubescentes, sed virentibus contenti vasculis. Binae drachmae radicum bilem per superna dicuntur vacuare, si tusae, atque in laevorem redactae matutino devorentur ex aqua.

CAPUT XXIX.

De POPO.

Duae herbae offenduntur apud *Mechoacanenses* ejusdem nominis: prior est nostras Helichrysos, quam ajunt devoratam evocata vomitione purgare bilim, et infusam intestina infernè emundare; secunda verò radici innititur fibratae, unde fulvi caules eduntur, et in his saligna folia. Frigida haec, humidaque constat temperie, ac febres mitigat devorata.

CAPUT XXX.

De POPO.

Radici innititur obrotundae, fibrataeque, et parvae, un-

de prodeunt cauliculi tenues, et fulvi, et in eis folia Salicis, per intervalla septena. Illita folia dicuntur punctis mederi. Nascitur in frigidis *Pazcuari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXI.

De POPOLOCATIC, *seu Herba simili culmo frumentaceo.*

Radicem fundit raphano similem, sed tenuiorem, intus candidam, extra fulvam, caules tenues, et lentos, ac folia Ocymi. Radix frigida, et sicca constat natura, febres sedat, et coërcet alvum. Nascitur *Teotihoacani* in planis locis, expositisque soli.

CAPUT XXXII.

De POPOZON, *seu Herba simili spumae.*

Herba est longa, undique lanugine nonnihil spinifera vestita, flores purpureos ferens, sed media parte luteos, e quibus generantur vesicae quaedam striatae, semine rotundo candenti, ac margaritis simili refertae, sed quod demum in nigrum evariet colorem. Frigida, et sicca natura constat. Provenit *Ocoituci* in udis faucibus montium.

CAPUT XXXIII.

De POPOZOXOCHITL, *seu Flore spumoso.*

Herba est caules fundens, tenues, teretes, et purpu-

reos, folia Coriani, flosculos multorum colorum. Odoris est, ac saporis ferè expers, ideoque nullius, quod adhuc compererim, usus, praeterquam floris. Nascitur in hortis, viridariisque, ac planis locis.

CAPUT XXXIV.

De POPOZOCA, *seu Herba spumae simili.*

Herba est visa mihi *Quauhquechullae*, et *Itzocani*, pituitam per superna unciae unius pondere devorata purgans. Calida constat, siccaque, et glutinosa ordine tertio natura, et guttur urenti. Sunt, qui *Tlaltetzmitl* vocent, etsi longè absit a Sedi speciebus.

CAPUT XXXV.

De POPOZOTON, *seu Herba spumae simili.*

Herbula est folia ferens Alsines, serrata, parvaque, et flores luteos, modicos. Lubrica est, et in frigidam temperiem inclinans, etsi amaritudinem nonnullam, et calorem videatur participare. Singultui infantium dicitur mederi. Nascitur *Yacapichtlae*.

CAPUT XXXVI.

De PINAHUIHUITZTLI, *seu Herba verecunda.*

Pinahuihuitztli, quam alii (quoniam inducat soporem

capiti impoſita, aut quia tacta dormire videatur) *Cocochiatl* vocant. Frutex eſt quatuor dodrantes longus, folia fundens quadantenus falcata, per intervalla ſena, ac manipulorum forma ſibi invicem conjuncta, haud diſſimilia illis *Thoixochitl*, ſtipites tenues, ſpiniferos, radicem ſurculoſam, flores verò, fructumve forma erinaceis, primò viridibus, ac mox fulvis, racematim dependentibus perſimiles. Amorem dicitur conciliare. Folia ſaporem raphani quadantenus referunt; frigida conſtat, ſiccaque, et adſtringenti natura, necnon et glutinoſa. Succus radicis medetur tertianis febribus, oculis et inflammatis, ſomnumque inducit: cortex verò ventris fluxibus. Hic eſt ille Frutex, cujus folia ad quemvis hominis, aërisve attactum contrahuntur, junguntur inter ſeſe, atque marceſcunt. Naſcitur in calidis *Tepoztlanicis*, *Quauhtlani* quoque, et *Hueitlalpae*, et in collibus *Tacapichtlae*. Hanc eamdem eſſe exiſtimo, aut ei congenerem, quam Hiſpani Philippicarum Inſularum coloni *Plantam ſentientem* vocant, de qua ſcribunt (verè, an falſò neſcio) nonnulla, quae in hac proveniente praedictis in locis vera eſſe nequaquam experimur, velut eſt ſtipites rectos proferre pennae gallinaceae craſſitudine, ex ſingulis radicibus denos, duodenoſve, quorum unuſquiſque duodenis ornetur foliis diviſis in quatuor ordines duarum unciarum inter ſe diſtantes intervallo; folia eſſe Lotho urbanae ſimilia, flores cyaneos,

linguae similes passerinae, antequam hient, hiantes verò in terna dividi folia modica; adeo offendi attactu, flatuque hominum, ut attrectata digitis ultima foliorum serie moerorem quemdam praeseferat, atque soporem, statimque decidant reliqua folia manentibus solis superioribus, quae si rursus digito tangantur, pariter decidunt; quin stipitem, qua parte attrectetur, rumpi, ac in terram procidere nigrescente incisa parte, velut si igne fuisset combusta; quin si halitu hominis perfletur, totum procidere, ac rumpi, neque hoc evenire si ligno, baculove, aut aliter tangi contingat, sed sola humana manu, aut spiritu; insipidam esse, nec ulla ad medicos usus spectante pollere vi. Plantam etiam narrant nasci *Malavari*, quae similiter ad manus contactum contrahatur, foliis Polypodii, ac luteis floribus. Alii aliam apud *Peruinos*, quae etiam si tangatur, arescat, necnon in nostro Orbe, ac praecipuè apud Gades. Verùm, quae nos de *Pinahuiztli* scribimus, experimento cognovimus, multique alii indubitatum esse millies comperuere.

CAPUT XXXVII.

De PINAHUIZPATLI *Ytzocanensi.*

Arbuscula est radicibus innixa surculosis, longisque, e quibus profert stipites, et in eis folia Olivae, sed minora, fructum obrotundum, primò virentem, ac mox vergentem

in fulvum. Radix est ordine ferè quarto calida, siccaque, et nonnihil adstringens, crassarum partium, et amara. Urit guttur, semenque pellit retentum. Nascitur in collibus, ac declivibus eorum locis apud fervidas regiones, qualis est *Ytzocanensis* ; an verò pertineat ad Phillyreae differentias, aliis esto judicium.

CAPUT XXXVIII.

De PARONYCHIA pingui Quauhtepecensi.

Caules mittit repentes per terram, valde exiles, et in eis folia rara, orbicularia, lentibus haud dissimilia, sed precipuè eis lapillis, quos *Sapinas* vulgus vocat. Frigida humentique natura constat. Nascitur apud *Quauhtepecenses*.

CAPUT XXXIX.

De PARONYCHIA, seu Quimichpatli.

Quimichpatli, seu *muris medicina*, folia profert rotunda, pinguiaque, cauliculis tenuibus, et parvis innascentia, flores verò piperi longo similes, sed tenuiores, ac breviores. Sunt qui vocent *Tequaniyel*, *pectus* ve *Leonis*. Saporis acris est, et quarto ordine calens. Propinatur contra satietatem, appetentiam sopitam, nimiam expuitionem, fastidium, et foetorem oris; nec desunt, qui ea utantur adversùs febres, seu quòd earum concoquat, pellatque causam, seu

quòd intermittentium febrium rigoribus adversetur. Provenit humectis in locis.

CAPUT XL.

De POZAHUALIZPATLI, *seu medicina tumorum.*

Species est Herbarum, quas vulgus a radicum forma Capillares vocat: radices enim agit capillorum instar, quibus innascitur, adhaeretque Arboribus, folia dodrantem longa, ac minimum digitum tantisper lata, vermiculata infernè, velut illa Polypodii, Phyllitisve, ad cujus species refertur; flore, et fructu caret. Frigida, et sicca, ut ceterae congeneres, constat natura, atque ita jus decocti ejus decem unciarum mensura quotidie potatum tumores praeter naturam totius corporis tollit. Nascitur *Copitlani.* Sunt, qui *Tentzontli* vocent.

CAPUT XLI.

De POZAHUALIZPATLI *Chimalhuacani Chalcensis.*

Multis insistit radicibus fibrarum instar, e quibus promit stipites duos prolixos dodrantes, folia Ranunculi, longa, sinuosaque, flores luteos juxta extremos stipites, et ramulos. Ad Ranunculi species videtur attinere, calidaque, et sicca ordine tertio constare natura. *Ocuitucenses*, apud quos nascitur, vocant eam *Zacatlepatli*, ajuntque putridis mederi ulceribus, et supervacaneam carnem exedere, ma-

turareque, et rumpere praeter naturam tumores, unde evenit illi primum nomen. Vidimus apud Mexicanos aliam Plantam huic forma similem, sed amplioribus foliis, et colore tinctis exsaturatiore, et viribus inferiorem; cujus neque nomen, neque facultates adhuc mihi indigenae narraverunt.

CAPUT XLII.

De POZAHUALIZPATLI *tertia.*

Radices profert surculosas, et inde caules volubiles, et subalbescentes, ac refertos per intervalla floribus e candido inclinantibus in luteum, oblongisque, ac foliis Amygdali, aliquantò latioribus. Medetur frigori, dolori, ac praeter naturam tumoribus, quamcumque partem obsederint. Amara est, ac nonnihil calens. Nascitur in collibus, saxosisque locis calidarum regionum *Quauhtlanensium.*

CAPUT XLIII.

De PETZICATL, *seu Herba laevis seminis.*

Ubique nascitur, et edulis est, folia ferens Limonis, fibratam radicem, ac flores toto caulium discursu pilosos, prodeuntesque circa foliorum exortum, rotundos, ternos, quaternosve, et fulvi coloris.

CAPUT XLIV.

De PEZOPATLI, *seu medicina Pezotl.*

Congener videtur *Tepopol*, de qua paulò ante sumus locuti; radici innixa fibratae, e qua proferuntur caules geniculis intercepti, et in eis folia Mori, serrata, verùm minora, floresque in summis cauliculis terni, et candentes. Calida, siccaque ordine tertio constat natura, ac tenuibus partibus. Jus decocti radicum infusum medetur satietati. Nascitur montosis locis *Papaloticpacensibus.*

CAPUT XLV.

De PAHOA, *seu Arbore Pahuatlanensi.*

Arbor est magna, comataque, folia proferens lata, et firma, fructum verò mediocrium cucurbitarum magnitudine, ceteris *Ahoacatl* similem, eademque natura, sed copiosiore, et gratiore callo. Sunt inter Mexicenses, qui vocent *Ahoacatlhoei.*

CAPUL XLVI.

De POTOMATLI *Mecatlanensi.*

Musci formam praefert, et croci colorem, frigidamque, et humentem naturam, saporem verò, ac odorem nullum. Nascitur in saxis, et inde vitalem sibi exhaurit humorem. Confert patientibus defectionem, ac cordis dolorem sedat.

CAPUT XLVII.

De TLALPOYOMATLI.

Radicibus haeret tenuibus, et parvis, unde profert caules, et in eis folia longa, et angusta, Salviae similia, altera parte viridia, altera verò subalbescentia, minùs tamen lata. Nec quidquam adhuc de ea Herba memoria dignum accepi.

CAPUT XLVIII.

De POYOMAXOCHITL.

Radices, foliaque fert similia illis *Coatzontecoxochitl*, majora tamen, flores etiam similes, sed candidos, et pallentes circa extrema, neque dissimiles illis *Zacalloxochitl.* Radix frigefacit, humectatque, atque ita sapore, et odore insigni caret. Ad species *Coatzontecoxochitl* pertinere videtur. Nascitur in calidis *Xonotlae.*

CAPUT XLIX.

De PETZMA, *seu manu laevi.*

Radicem crassam, et fibratam fundit, et ex ea caules tenues, teretes, et purpureos, refertos longis, serratis, angustis, et Filici similibus foliis, et quadantenus avium pennas imitantibus. Vis est frigida, siccaque, atque adstringens; et ideo ad compescendas dysenterias radix in farinam reda-

cta ex aqua solet exhiberi. Flore caret, et ad Filicum genus videtur pertinere, quas imitatur forma, et viribus. Nascitur in calidis locis.

CAPUT L.

De PAPALOXIHUITL, *seu Herba Papilionis.*

Radici insistit fibratae, ex qua fundit caules purpurascentes, hispidos, cavos, quadratos, et nodis interstinctos, necnon cirrhis quibusdam juxta exortum ramorum, folia circa cuspidem velut abscissa, lunataque, aut falcata figura, obrotunda, tenuia, et mollia, similiaque alis Papilionum, unde invenit nomen. Radices, foliaque olent cucumeres, et eadem videntur quoque constare natura. Ulceribus medetur, labiorum inflammationem mitigat, et carnem superexcrescentem cohibet. Nascuntur initio folia inter sese cohaerentia, compactaque velut in vaginam, auricularum forma, ac tandem librorum modo panduntur. Nascitur *Quauhchinanci.* Est et alia Planta eadem nomenclatura ob florum figuram Papilionibus haud dissimilium, radice rotunda, fibrata, ceparum forma, unde prodeunt caules longi, tenues, et rubescentes, porraceis foliis, flore luteo, sed punctis rubris distincto, et qua diximus, forma, fructuque, ubi semen clauditur, oblongo. Narcissi, ut puto, species est; frigida enim, glutinosaque praeter jam dicta constat natura: floris tamen apud Indos solummodo est usus. Sunt qui vocent *Papaloxochitl*

CAPUT LI.

De PAPALOQUAHUITL, *seu Arbore Papilionis.*

Arbuscula est stipites fundens subalbidos, et hirsutos inferna parte, flores in summis caulibus in umbellam compositos, oblongos, pilosos, et pallentes, et folia Mali Medicae, sed obrotundiora, minoraque, et inferna parte obducta lanugine, et subalbida. Folia redacta in farinam medentur recentibus plagis, eorumque lanugo sanguinis fluxum coërcet. Nascitur in montibus frigidarum regionum *Atlapulci.* Folia sunt odora gustu, adstringentiaque, necnon exsiccantia, atque calefacientia.

CAPUT LII.

De altera PAPALOQUAHUITL.

Offendi apud *Atataccenses*, et *Ocuitucenses* Fruticem angulosis, vitigineisve foliis, similibus illis *Tetzapatli*, sed odoris, luteisque, et comantibus floribus. Calida constat, siccaque natura, et subtilibus partibus.

CAPUT LIII.

De PHELLANDRIO *Tetzcoquano.*

Herba est Phellandrio Pliniano omnino similis forma, sed odore gravi, nonnihil amaro, calidaque, et sicca or-

dine secundo temperie. Nascitur in montibus *Tetzcoquanis*, unde fecimus illi cognomen ; nec quidquam aliud memoria dignum de ea ab incolis accepimus ; quamobrem non curavimus depingendam.

CAPUT LIV.

De PARADISEA *Tetzcoquana.*

Frutex est hominis altitudine, undiquaque exspansus, foliis Olivae, supernè viridibus, infernè verò subalbescentibus, unde inditum est nomen, patrio enim erat destituta, est siquidem hac in re Arbori, quam nostri paradisi vocant, persimilis, Plinius verò, ut quidam conjiciunt, Barbam jovis. Caules sunt teretes, laevesque, folia bina per intervalla, aliis duobus longè minoribus ab eodem nodo exorientibus. Sapor est adstringens; frigidaque, et sicca temperies. Nascitur *Tetzcoqui*, unde cognomen. Ad species *Michpatli* videtur pertinere.

CAPUT LV.

De POZOLXOCHITL, *seu Flore decocti Mayzii.*

Volubilis genus est Mali Medicae foliis, sed mollioribus, flore ex albo rubescente, e quinque mucronatis foliolis concinnato, luteoque umbilico, ac pediculis longis, quibus appensus, et coacervatus efficit comam. Nascitur imbrium tempore juxta montes *Tetzcocanos*.

CAPUT LVI.

De POZOLXOCHITL *Ocoïtucensi.*

Radici innititur obrotundae, magnitudine nucis Iuglandis, candenti, et contectae pelliculis nigricantibus, unde profert caulem, et folia, longa, hirſuta, ſubalbida, anguſta, et porraceis ſimilia, ac parvos flores. Radix lubrica eſt, neque ullo alio inſignis ſapore, frigidaque, et humenti praedita temperie, etſi lancinantionem quamdam participare videatur more earum Plantarum, quas Indi *Quequexquic* vocant; unde exiſtimo evenire, ut dicatur ſtrumis perſanandis magnopere conferre radicem tuſam, et loco affe-

cto admotam. Nascitur in collibus, ac montibus frigidis *Tonallae Mistecae* inferioris.

CAPUT LXI.

De TLANCUALOCAPATLI.

Radicibus firmatur longis, et tenuibus, ex quibus mittit caules sesquidodrantales, et in his Origani folia, flores luteos, parvos, in corymbos compositos. Radix est amara, et paulisper adstringens, calidaque, et sicca ordine tertio. Eadem in pulverem redacta, et ex aqua illita exesi dentis placat dolorem. Nascitur in frigidis, saxosisque *Tilanci* locis.

CAPUT LXII.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Tilancensi, seu virga secta.*

Radici insistit fibratae, ex qua mittit caules spithamaeos, et in eis folia Amygdali, serrata, et interveniis secundùm longitudinem procedentibus, flores verò luteos, et compositos in corymbos. Radix acris est, calidaque, et sicca temperie. Curat pectoris, et ventris dolores tusa, et sterno, ventrique applicata, aut devorata ex aqua semunciae pondere, ac alvum infusa purgat. Nascitur in planis, editisve locis, dum tamen frigida sint, agri *Tilancensis.*

CAPUT LXIII.

De TLAELPATLI *Tilancensi.*

Radices agit surculosas, unde profert caules lignosos, et in his folia Myrti, terna, sed congesta in acervos, et flores candentes. Radix est amara, odora gustu, acris, calefaciens, et exsiccans ordine tertio, et subtilium partium. Eamdem ajunt drachmae unius devoratam pondere dysenteriis obsistere. Nascitur in frigidis, saxosis, et montosis locis *Tilancensibus.*

CAPUT LXIV.

De TLAELPATLI *Tilancensi altera.*

Radicibus firmatur surculosis, unde profert caules octo spithamas longos, tenues, et geniculatos, et in his folia *Xiuhquilitl* similia, sed minora, et transversis exarata interveniis, flores verò rubescentes e luteo. Serunt, excoluntque eam Indi tingendorum filorum gratia cyaneo colore. Temperata videtur constare natura, et paulisper calida, et tamen foliis ejus uti mos est adversùs dysenterias trium drachmarum pondere devoratis. Nascitur in frigidis, planisque *Tilanci* locis.

CAPUT LXV.

De TLAXHUIZPATLI.

Herba est radicibus innixa Asphodelo similibus, teneris, et plenis succo, unde profert caules quaternum dodrantum, et Ari folia. Radices frigidae, humidaeque, et glutinosae videntur, quamvis lancinantes quasdam partes sortiantur, sitque ex numero earum, quas Indi Medici vocant *Quequexquic*. Repellere dicitur praeter naturam tumores imposita, et circumlita pannos, quos bubones vocant, evocare, maturareque. Nascitur in frigidis *Mistecae* superioris. Non autem duximus depingendam, cùm quòd Aro prorsus videatur similis, adeoque ejus species, et maximè foliorum forma, quae sunt praecipuae ejus partes, tum quòd vis frigida sit, et mordacitatis minimè expers, tum etiam, quòd frigidis constet viribus, quibus praeditas permultas depinximus Plantas.

CAPUT LXVI.

De TLACOTEQUILIZPATLI Tilancensi altera.

Radice firmatur fibrata, unde profert caules duos dodrantes prolixos, et in eis folia Persici, crenata per ambitum, flores coccineos, parvis vasculis, oblongisque contentos, et aggregatos in umbellas. Radix est amara, calefacitque, et exsiccat ordine tertio. Dolori pectoris, morbisque

ejus aliis dicitur conferre tusa cum foliis, illitaque pectori, et dorso semel dumtaxat. Nascitur in frigidis, montosisque locis *Tilanci.*

CAPUT LXVII.

De TLANCUAXIHUITL *Tilancensi.*

Radicem fundit longam, tenuem, et fibratam, ex eaque caules tenues, teretes, ac duos dodrantes longos, et in eis folia Amygdali, serrata, ac purpureos flosculos. Radix est temperatè calefaciens, atque humectans, quae illita cum foliis dolores sedare dicitur, et impeditam motionem instaurare. Nascitur in frigidis, planisque locis *Tilancensibus.*

CAPUT LXVIII.

De TLAELPATLI *Tilancensi tertia.*

Arbor est nascens in frigidis quibusque locis *Mistecae* superioris, foliis oblongis, serratis, multisque distinctis interveniis, *Xalxocotl* similibus, sed minoribus. Frigida est, et impensè adstringens; quamobrem folia exsiccata, redacta in pulverem, devorataque dysenteriis medentur, unde nomen.

CAPUT LXIX.

De TLACOTEQUILIZPATLI *Tilancensi tertia.*

Radix est prolixa, et sensim gracilescens, aliquantis-

per intrinsecùs lutea, ex qua fundit caules tenues, teretesque, et in eis folia Mali Medicae, sed angustiora, et tenuiora, floresque coccineos, et modicos. Radix est dulcis, calidaque, et humida constans natura, et pectori amica, cujus asperitati, dolori, ceterisque affectionibus dicitur mederi cortex radicis sex obolorum pondere. Nascitur in frigidis quibusque locis *Tilancensibus.*

CAPUT LXX.

De TECCIZPATLI.

Radicibus firmatur surculosis, unde profert caules, et in eis folia rara, Limonis paene forma, et magnitudine; aut Herbae palustris, quam vocant *Acaxaxan*, et candentes, ac modicos flores. Radix est frigida, siccaque; quamobrem in farinam redacta, et trium drachmarum pondere ex aqua epota vomitum compescit. Nascitur in frigidis, montosisque *Tilancensibus.*

CAPUT LXXI.

De TETLACOTL, *seu sude lapidum.*

Radicibus firmatur surculosis, unde prodeunt caules teretes, et purpurei, et in eis folia serrata, aspera, Urticae foliis similia, sed terna per intervalla, quorum unum est mediocre, alia verò duo triplo ferè minora, alteraque ex parte collocata, flores verò candentes, et in pappos abeuntes.

Amara sunt folia, adstringentiaque, et calida, ac sicca temperie praedita. Jus decocti ejus exhiberi solet roborandi, et calefaciendi gratia, et pro Indorum more foeminis, quae confractae sunt in enixu.

CAPUT LXXII.

De TLAYACACUITL.

Herba est insistens radici obrotundae, et fibratae, unde caules geniculati funduntur, et in eis folia Mali Medicae, minora, obtusioraque juxta cuspidem, perque magna intervalla bina alterutra parte caulis alternatim disposita, et in summo capitula Stoechadi quadantenus similia, cujus adhuc nullam insignem facultatem, quae spectet ad Medicinam, accepi. Est autem Tlayacacuitl *Herba obtusae cuspidis.*

CAPUT LXXIII.

De TLACOXOCHITL, *seu virga florida.*

E radice longa, tenui, et convoluta modo intestinorum, fibrataque multas virgas profert, caulesve lignosos, cubitales, et mediocriter crassos, folia Lini, longiuscula, et angusta, et in procursu ramorum flores ex albo rubescentes, vasculorum oblongorum figura, semenque nullum. Radix in laevorem redacta putridis ulceribus opitulari solet, ac praecipuè virilium, muliebriumve pudendorum. Fastidio etiam

medetur aqua, in quam unius unciae mensura fuerit conjecta, si illa, quoties sitim explere opus sit, bibatur.

CAPUT LXXIV.

De TEXCALXIHUITL, seu saxorum Herba.

Nomen invenit a locis natalibus; saxis enim adhaeret radicibus, quae similes sunt capillis, unde mittit caules ornatos foliis binis, ordine utrinque dispositis, Filicis, Corianive similibus, et circa superiores partes floribus candentibus. Filicis speciebus aliis, quas pictas damus, videretur facultate, et forma similis, si caule, et floribus careret, quos tamen, quales diximus, proferre solet.

CAPUT LXXV.

De TZAHUÉNGUENI, seu Filipendula Mechoacanica.

Herba est radicem fundens glandi similem, intrinsecùs candentem, et extra fuscam, desinentem in tenuem, et longum funiculum, unde prodit caulis purpurascens, ornatus foliis in tres partes, quarum media major est, divisis, serratisque, et floribus circa postremos ramos per ambitum coccineis, ac media parte luteis cum alba quadam iride. Radix est calida, et sicca ordine quarto, acrisque, et subamari saporis, odoris verò Pastinacae, *Copali*, aut *Tecomahacae* persimilis. Folia tusa, et admota medentur scabiei, et re-

dacta in pulverem ulceribus. Radices tusae, atque ex aqua devoratae duarum drachmarum pondere urinam, et menses evocant, convulsionem curant, satietati medentur, pectori conferunt, frigus pellunt, reserant obstructa, opitulantur coeliacis, hydropicis, colicis, iliacis, et ceteris, quibus medicamenta calida, siccaque ordine quarto, ac subtilium partium solent conferre. Nascitur in frigidis montibus, et eorum verrucis *Tacambari* Provinciae *Mechoacanensis*, necnon *Zayulae*, ubi *Zacacucuchi* vocant.

CAPUT LXXVI.

De TZIQUIPENI, *seu Planta racemosa.*

Herba est surculosis firmata radicibus, unde oriuntur caules teretes, tenues, ac fulvescentes, per intervalla ornati foliis longis, et angustis, quinisque, floribus verò binis inter foliorum acervos e longis pediculis dependentibus; quorum colorem, nondum hiantium, cùm a nobis visi sunt, referre nequeo. Ajunt pectoris dolorem sedare radices tusas, et applicatas, aut oleum, cui infrixae sint, etsi sapore, et odore insigni videantur carere. Nascitur in temperatis *Tacambari* Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT LXXVII.

De TIRIXENDÚQUA.

Arbuscula est foliis minutim serratis, Mali Medicae, sed latioribus, ac floribus ejusdem, comataque. Adstringenti natura, et mediocriter calida constat, et pulchra ad opera intestina materie. Nascitur in frigidis *Uruapae* Provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT LXXVIII.

De TZIQUÍTSIQUA.

Arbuscula est odorata Ciceris foliis, lacte manat candenti, quod statim cogitur, amaroque, cujus adhuc ab indigenis nullum memoratu dignum juvamentum accepi, aut sumere licuit experimentum. Nascitur in temperatis, ac frigidis *Tacambari*.

CAPUT LXXIX.

De TLALATEZQUILITL.

Herbula est, quae capillata firmatur radice, ex qua profert caules multos, et in eis folia parva, obrotunda, serrataque, et serie quadam utrinque contra se posita caulem exornantia, in summo verò flosculos spicatos, et pallentes. Edulis est, ac Sisymbrium sapore, et temperie imitatur, cu-

jus videtur species. Nascitur Mexici circa loca humecta, atque palustria.

CAPUT LXXX.

De TZÁTZEQUA.

Herbula est caulibus tenuibus, et brevibus e fibrata radice ortis, quibus insunt folia parva, oblonga, et acuminata, exilesque, et coccinei flosculi. Tusa, et emplastri loco pannis, aliisve praeter naturam tumoribus applicata eos maturat, rumpitque. Nascitur in frigidis *Pazcuari.*

CAPUT LXXXI.

De TETEZANACA, seu Zazanaca lapidum.

Herba est fibratae innixa radici, ex qua prodeunt caules purpurei, et in eis folia rara, bina, ac paene Amygdali, et flores in summo candentes aggregati in comas, et abeuntes demum in pappos. Cujus nullam adhuc vim accepi.

CAPUT LXXXII.

De TZOCUILPATLI, seu Acanthilidis medicina.

Tzocuilpatli, quam alii *Tzoquihoatli* vocant, radicem fibratam fundit, teretes, ac tenues caules, ac folia Ocymi, majora tamen, rarioribus per ambitum scissa crenis, et nonnullis interveniis secundùm longitudinem procedentibus, prae-

ter alia minuscula circa singulos majorum exortus pullulantia. Amara est, et calidis viribus praedita. Jus decocti bibitum, illitumve dolores mirè sedat, etiam ortos e gallica vocata lue: quin etiam scabiem sanare dicitur, et idem infusum praestare. Nascitur temperatis regionibus, quales sunt *Quauhtepecenses*, humectis praecipuè, et aquosis locis.

CAPUT LXXXIII.

De TETETZIN, *seu Lapillo.*

Radici insistit crassiusculae, tuberosae, et fibratae, unde prodeunt caules tenues, teretesque, ornati foliis vocatae Gratiolae nervis rectis insignibus, sed majoribus, et circa postremos ramulos foliis ex albo purpurascentibus, et Bellidi minori similibus. Radix tusa dicitur tumores praeter naturam, si applicetur, discutere, ac lenire dolorem. Nascitur in collibus frigidis, et servatur in eos usus radix a *Taxcaltecis* in integros annos.

CAPUT LXXXIV.

De TLALCOCOLTZIN, *seu parva Herba, et contorta.*

Inveni Tithymali genus apud *Tetzcoquenses*, quod ad Helioscopium retuli, sed quoniam non omnino effigies respondebat, depingendum curavi. Habentur ab Indis radices, et folia in magno pretio ad vacuandam pituitam, ac bilim

utramque drachmae unius pondere, et morbum, quem vocant gallicum, curandum, adeo ut in arcanis recondant, nec cuiquam velint facilè revelare. Nascitur ubique, sed praecipuè in locis calidis. Sunt, qui vocent *Cucultzin.*

DE HISTORIA PLANTARUM
NOVAE HISPANIAE,
LIBER VIGESIMUS,
FRANCISCO HERNANDO,
MEDICO, ATQUE HISTORICO
PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,
ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De XOMILQUAHUITL, *seu arbore Xomillin.*

Arbor est magna, incondita, et granulis quibusdam scabra. Folia sunt Ocymi, minimè serrata, subalbida, et aliquantulùm pinguia, flores parvi, atque coccinei, fructusque exilis, et rotundus. Nullum insignem saporem, aut odorem praefert, sed frigida, humidaque temperie constat, glutinosaque natura. Propinantur folia resoluta ex aqua pugilli mensura bibenda febrientibus. Nascitur humidis, saxosisque locis *Chietlae*, adeoque juxta montium fauces. Nomen habet a vermiculis, quos *Xomillin* vocant, de

quibus dictum est a nobis inter animalia.

CAPUT II.

De XOMILACOTL, *seu Frutice, in quo Xomillin nascuntur.*

Frutex est *Coatlani Quauhnahuacensis* incola, radici insistens fibratae, et longiusculae, ex qua profert caules rubescentes, et in eis folia rara, Ocymi, bina in discursu caulis, et magis acuminata, vasculaque in postremis ramis eadem paene figura, obrotunda tamen, longè minora, et referta semine. Radix est odora, non sine quodam virore, et amaritudine, arenosaque. Calida est, et sicca ordine tertio, uritque guttur. Germina illita oculis nubeculas subortas absumunt. Provenit humectis locis, adeoque juxta rivos, et ruentes aquas.

CAPUT III.

De XOMILXIHUITL.

Herba est caules proferens teretes, cyaneos, spiniferos, longos, et in eis folia tenuia, oblonga, et terna, radicem sensim gracilescentem, et fibriatam. Acris est, et resinosa, calidaque, et sicca ordine quarto, non sine quadam adstrictione, et roboratione. Ajunt Indi conferre delirantibus; quod videtur delirium, nisi fortasse juvat vacuationis aliquo genere, aut illis, qui desipiunt citra febrem.

CAPUT IV.

De XOXOCOTIC.

Herbula est radicem fundens pruno parvo similem, unde nomen, intus albam, extra verò ex candido rubescentem; caules praetenues, sex tantùm uncias longos: folia minima, et valde rara; flores in summis ramulis oblongos, cyaneos, et exiles. Radix calefacit, exsiccatque ordine tertio, quae unica est, et parùmper capillata. Eadem ex aqua epota sesquidrachmae mensura humores omnes tum per superna, tum etiam per inferna vacuare solet, sed pituitam praecipuè: cruditatibus enim, satietatique dicitur mirum in modum conferre, et admota pectori tussi, et respirationis difficultati. Nascitur in montibus Mexicanis.

CAPUT V.

De altera XOXOCOTIC.

Arbor est folia ferens Limonis, sed paulò majora, luteosque flores. Cortex radicis siccus, et adstringens est non sine aliquo calore, et nonnihil acidus, unde nomen. Exhibetur hic devorandus trium drachmarum pondere his, qui contabescunt; purgare enim eos dicitur, atque ita demum sanare; ulcera quoque laevigatus, et inspersus curat. Nascitur in calidis juxta colles *Hoitzocenses*, et *Quauhtlanenses.*

CAPUT VI.

De XOXOCOTIC *Ytzocanensi.*

Arbor est foliis Origani, sed pinguibus, purpureis caulibus, et floribus spicatis. Frigida constat natura, siccaque, et adstringenti. Cortex radicis resolutus ex aqua, atque epotus adversatur febribus, et cuivis calidae distemperiei, curatque diarrhoeas, atque dysenterias.

CAPUT VII.

De XOXOCOTIC *Uaxacensi.*

Arbuscula est octo dodrantes longa, surculosae innixa radici, unde prodeunt stipites, et in eis folia Ocymi, obrotunda, circinata, hirsuta, pinguia, candicantia infernè, ac profundiusculis interveniis distincta, et albi flores, exiles, spicatique. Calida secundo ordine temperie constat, siccaque, et adstringenti: et tamen jus decocti ejus ajunt asthmati mirum adferre praesidium, pectorisque dolori. Nascitur in temperatis collibus, ac montium faucibus agri *Uaxacensis.*

CAPUT VIII.

De XOXOCATÓN, *seu acidula Planta.*

Xoxocatón, quam alii *Xococxihuitl* vocant, nos verò volubilem Acetosam vocamus, Oxalidi similis est, et folio-

rum forma, et natura, sed praelonga, scandens arbores, ac sese illis convolvens: flores fert parvos et candentes in racemos compositos, ex quibus producuntur acini quidam mediocres, viridesque, sed procedente tempore rubescentes, ac tandem in nigrum degenerantes colorem. Acidi etiam sunt, et nucleum includentes fragilem, et aliquantisper amarum. Acidum saporem tota Planta praefert, frigidamque, ac adstringentem naturam, et febrientibus valde utilem. Nascitur in frigidis *Ocoituci* regionibus.

CAPUT IX.

De XOXOCATÓN *altera.*

Frutex est in amplitudinem extensus, et altitudine cubitorum plùs, minùs quatuor, caules proferens spiniferos, striatos, purpureos, et Rhamni germinibus proximos, non sine capreolis; folia Amygdali latiora, et per intervalla serrata. Germina sunt edulia, similiaque quadantenus palmitibus, acida, et adstringentia; ac semen in postremis caulibus rotundum. Scabiem a calidis humoribus ortam inter alia curare dicitur. Nascitur in planis *Yacapichtlae.*

CAPUT X.

De XOCOCPATLI, *seu acido medicamento.*

Herba est surculosis insistens radicibus, e quibus edit

caules binos dodrantes longos, teretes, asperos, fuscos, et inaequales juxta primordia purpureos, ac deinde virescentes, folia longa, et angusta, nervisque distincta secundùm longitudinem discurrentibus. Jus decocti epotum unciae unius mensura amovet lassitudinem. Calida autem est gradu secundo.

CAPUT XI.

De XOCOXOCHITL, *seu Pipere Tavasci.*

Xocoxochitl, seu *Flos acidus* vocata, Arbor est magna, Mali Medicae foliis, floribus coccineis Mali Punicae forma, sed odore florum Mali Medicae, atque adeo jucundiori, quo etiam folia ipsa vincunt; fructu orbiculari, acinoso, racematim dependente, primo viridi, mox fulvo, ac tandem in nigrum colorem inclinante, acri, odoratoque, et ordine tertio, aut ampliùs sicco, atque calido. Hic appensus collo defluxioni egregiè dicitur mederi. Piperis vices supplere potest, et pro Carpobalsamo, aut Carpesio substitui. Roborat cor, ventriculumque, utero confert, flatum dissipat, obstructiones aperit, urinam, et menses evocat, frigus pellit, colicis, et iliacis opitulatur, venerem excitat, crassos, et lentos humores incidit, et concoquit. Quin additis *Colopatli*, *Coapatli*, *Tzitzicaztli*, et *Ololiuhqui*, et applicata dorso ex resina, fluxiones alvi coërcet, appetentiam excitat, frigorique, et

aneurismati medetur, ac mille alios his similes praestat usus. Nascitur apud *Copitlanenses.*

CAPUT XII.

De XALXOCOXOCHITL, *seu Flore Pruni arenosi.*

Nomen sumsit ab odore *Xalxocotl* Frutex stipites fundens rectos, et in eis folia oblonga, serrata, aspera, acuminataque, et flores in summis ramis oblongos, compositos in corymbos, et ex albo rubescentes; caules, pediculique, et foliorum purpurascunt intervenia. Floris tantùm, sed spectabilis, gratique visu praebet usum. Illud est in hac Planta mirabile, edere juxta ramorum cacumen florem quemdam magnum, Rosae nondum hianti persimilem, et a ceteris fratribus magnitudine, et forma non mediocriter distantem, quod est huic uni Frutici, quod adhuc noverim, proprium, et peculiare. Provenit *Tetzcoqui.*

CAPUT XIII.

De XOCOC *Mecatlanensi, seu acida Planta.*

Arbor est magna, comataque, humilibus, editisque locis *Mecatlani* proveniens, fructu prunis Indicis simili, unde nomen, sed os magnum includente, ac carente corio; quo fit, ut totus fructus mandatur, etsi inter *Xocotl*, prunorumve ignobiliora computetur genera.

CAPUT XIV.

De XOCOPATLACTZIN, *seu Planta acida, et ampla.*

Arbor est magna, proveniens in calidis *Oitzocensibus* juxta colles, folia ferens Phaseoli terna, odore ferè nullo, frigidaque, et adstringenti temperie. Cortex tritus, et resolutus ex aqua, instillatusque oculis morbis eorum medetur. Nam supervacaneam eorum carnem absumit, et argemata discutit.

CAPUT XV.

De XIUHTLANTECTLI, *seu Flore abscisso dentibus.*

Herba est radici insistens fibratae, unde profert caulem purpureum, striatum, ramosum per intervalla, et ornatum foliis vocatae Gratiolae, lineis secundùm longitudinem discurrentibus, floribusque juxta postremos ramos orbicularibus, luteis, et pilosis. Gustu est odora, calidaque ordine secundo non sine quadam siccitate, et sapore Laveris. Folia dicuntur sistere diarrhoeas decocta ex aqua, et luteo tingere colore. Nascitur in calidis.

CAPUT XVI.

De XALQUAHUITL, *seu Arbore arenae.*

Frutex est caules fundens lentos, tuberososque (unde nomen), et lenta more Ficus refertos medulla, folia Amyg-

dali, sed magnitudine varia, atque inaequali, flores parvos, candentes, circa ramorum extrema, et in comas quasdam parvas aggregatos, et micantes Septembri. Jus decocti ejus flatum discutit, ac colicis auxiliatur, etsi modico calore praeditum sit. Provenit algidis locis, et circa aquarum defluxiones laetiùs micat.

CAPUT XVII.

De XALQUAHUITL *altera*

Frutex est sarmentosus, caules ferens geniculis interceptos, punctisque distinctos, unde nomen; folia Piperis longi foliis perquam similia. Calida ordine quarto, siccaque constat natura. Jus decocti ejus exhibetur enixis corroborandi, flatus discutiendi, et menstruorum evocandorum gratia. Satietati medetur. Odora est, et *Tlatancuayae* hac in re quoque similis, adeo ut illi prorsus videatur congener.

CAPUT XVIII.

De XALQUAHUITL *tertia.*

Herba est radicibus fibris similibus insistens, proferensque folia Mali Medicae, sed angustiora; quae tusa, et imposita medentur scabiei. Provenit regione *Hoeyacocotlae* spectante ad temperiem.

CAPUT XIX.

De XALCOYANCZIN.

Radicibus innititur nucum juglandium forma, et magnitudine, sed paulò minoribus, candentibus, frigefacientibusque, et obductis lanugine. Eduntur decem, duodecimve earum adversùs febres, dulces siquidem, ac edules sunt, neque ingrati saporis, e quibus prodeunt caules tenues, volubilesque, et in eis folia valde exilia, flores verò variorum colorum, nam purpurei, coccinei, cyaneique conspiciuntur. Nascitur in calidis *Yoalani*.

CAPUT XX.

De XOCHIPÁLLI.

Xochipálli Herba est sex prolixa cubitos, radicibus innixa tenuibus, longisque, unde profert caules digitum crassos, et in eis folia sinuosa, magna, et Artemisiae quadantenus similia; flores *Cempoalxochitl*, sed parvos, et colore ex luteo rubescentes. Floris tantùm est usus; qui caloris est temperati, grati odoris, ac saporis, corroborans cor, uterinos pellens affectus, et ulcera, ac praecipuè oris curans. Maxima utilitas tingendi lanas, ac rerum formas luteo colore exprimendi, sed qui vergat in rubeum: cujus gratia ex aqua coquitur adjecto nitro, atque ita demum exprimitur

succus, colaturque; quo velut pigmento utuntur pictores, et fullones. Nascitur passim in calidis, et est admodum vulgaris cognitionis.

CAPUT XXI.

De XOXOTLATÓ.

Herbula est innixa fibris, unde profert caules repentes per terram, plenos foliis multifidis, floribusque juxta postremos caules e purpureo colore in cyaneum tendentibus, oblongis, ac quibusdam comprehensos vasculis. Medetur capiti, cruribus, et brachiis tumentibus, ulceribusque: jus decocti ex vino urinam evocat: succus instillatus naribus pituitam e capite trahit, defluxionibus medetur, ac dentium dolorem tollit; ad febres curandas devorantur folia tusa, immistaque *Alacticxihuitl* aequis portionibus: erysipelatis dicitur mederi, et diarrhoeas puerorum sistere. Amara nonnihil est, calidaque, et adstringenti natura. Calidis, aut pertinentibus ad temperiem regionibus nascitur quibusque locis, seu editis, seu campestribus. Vocaturque ab aliis *Xoxotla.* Est et alia Herba ejusdem nominis, surculosa radice, caulibus rubris, foliis Ocymi, serratis, flosculisque oblongis, et coccineis, radice subdulci, glutinosaque, et utili dysentericis.

CAPUT XXII.

De XOCHIECTLACIZTLI.

Arbor est mediocris, foliis Persici, quae contusa, atque resoluta ex aqua lepram, quam *Xiotl* Indi vocant, mirè curant. Nascitur editis, ac campestribus locis *Hoeyacocotlae.* Folia amara sunt, et insigniter calida.

CAPUT XXIII.

De XONOCQUAHUITL.

Arbor est foliis Ocymi, at cordis figura. E cortice fiunt restes, tenuesque funiculi, quos *Tomices* vocant, quibusvis ligandis inservientes, neque cannabinis, aut hujus Orbis *Henequenicis* inferiores. Provenit *Quauhchinanci.*

CAPUT XXIV.

De XICALQUAHUITL, *seu Arbore Tecomatum.*

Arbor est magna, foliis tricuspidibus, infernè squallentibus, baccis aculeatis, unde nomen. Semuncia corticis trita, atque infusa dysentericis magnopere opitulatur. Nascitur *Quauhchinanci.*

CAPUT XXV.

De XIUHPIZTLI.

Herba est multos proferens caules e radice candenti crassa, surculis referta, et valde odora, foliaque adeo Myrthi similia, ut illius videatur congener. Jus decocti infusum dysenteriis miram fert opem. Nascitur in frigidis *Tototepecensibus*.

CAPUT XXVI.

De XOCHITLAPITZÁLLI.

Volubilis genus est in Arborum usque summa conscendens cacumina, crasso stipite, ac Mali Medicae foliis. Cortex tusus duarum drachmarum pondere, ac matutino ex aqua devoratus impeditum restituit motum; quòd si majori devoretur mensura, amentiam aliquandiu perseverantem inducere solet. Nascitur in montibus *Tototepecensibus*, unde erit, si opus sit, petendus.

CAPUT XXVII.

De XALQUAHUITL *Mecatlanensi.*

Arbor est magna, foliis longis, latisque, et multis interveniis insignibus, asperis, et infernè candentibus, cum supernè tingantur exsaturato virore, flore parvo, et luteo, fructu acinoso, racematim dependente, postquam maturuit,

coccineo, edulique. Germina ejus rami, cui fructus appendet, tusa applicant Indi vetustis plagis, superponentes folia felicissimo succesu. Nascitur in calidis *Mecatlanicis*, unde impositum nomen.

CAPUT XXVIII.

De XOCHIPATLI.

Herba est sesquicubitum longa, folia Ocymi circinata ferens, caules geniculatos, et contortos, flores circa singulos geniculos orbiculares, luteos, et minimè senescentes, et radices surculosas. Madefaciunt febrientes ejus liquore, potandumve propinant; frigefacit enim, et saporis, odorisque ferè sentitur expers. Nascitur in frigidis, humidisque *Nexpae Totonacapensis* locis.

CAPUT XXIX.

De XALALAQUILITL.

Herba est radici insistens raphaninae, et fibratae, ex qua eduntur caules per terram repentes, referti foliis parvis, cordis figura. Edulis Herba est, nec quidquam aliud memoratu dignum de illa accepi. Nascitur *Xochimilci.*

CAPUT XXX.

De XIUHQUAHUITL.

Arbor est magna, ramosaque, folia Mali Medicae ferens, sed inaequalia, ut quae dorso ad alterum latus sint latiora. Materies est odore, gustuque non parùm suavi quadantenus Foeniculum, Anethumque referens, calidaque, et sicca ordine secundo natura, et subtilium partium. Folia in laevorem redacta, inspersaque medentur vetustis, atque recentibus plagis. Nascitur *Mactlactlani* humilibus, et campestribus locis.

CAPUT XXXI.

De XICAUICALIZPATLI.

Foliola parva sunt, saxis innascentia, quae fluens unda proluit. Addita haec *Miaoapatli*, et *Totonilizpatli*, tusaque pariter, atque ex aqua resoluta devorari solent adversùs febres. Fortassis ad Lichenis, aut Pulmonariae pertinet genus.

CAPUT XXXII.

De XIUHCÓCOLIN, *seu Herba contorta.*

Frutex est *Hoitzocensis*, radici innixus magnae, e candido vergenti in fulvum, ex qua mittit caules tenues, teretes, perque magna intervalla geniculatos, squallentes, et

hispidos ; folia rara, magnaque ex parte altero latere unico dissecta sinu, hirsuta, et candicantia, sed praecipuè infernè, oblongaque, et Phaseolorum flores. Sapor radicis subdulcis est, et quadantenus Leguminis, frigidaeque, et adstringentis temperiei. Cortex ejusdem laevigatus, et bis die duarum drachmarum pondere devoratus ex aqua vomitum, ac praecipuè puerorum compescit; medetur ulceribus oris, ac pudendorum radicis succus, aut flos ex lacte, et mirabiliter confert oculis. Nascitur in calidis collibus, et campestribus locis.

CAPUT XXXIII.

De XICOXOCHITL, *seu Flore Apis.*

Herba est sex cubitos longa, radicibus surculosis innixa, e quibus profert folia Salicis, longosque, et cyaneos flores toto caulium procursu. Radix est impensè amara, calefaciensque, et exsiccans ordine tertio. Discutit praeter naturam tumores, et febribus, quas comitantur puncta, dicitur mederi, evocato, ut par est, sudore, et vacuato humore morbum faciente. Provenit in frigidis, qualis est *Atlapulcus*, et *Ocopetlayuca* umbrosis in montibus. Sunt qui vocent *Quauhchilpan*, seu *signum ligni*, nec desunt qui *Tanaxochitl.*

CAPUT XXXIV.

De altera XICOXOCHITL.

Herba est foliis constans obtusis, mollibus, et floribus luteis, atque acinoso fructu. Frigida, et humida natura constat, nec quidquam amplius de ea Medici indigenae narrant.

CAPUT XXXV.

De XICOPATLI, *seu Apis medicina.*

Radicibus haeret capillis similibus, e quibus fundit caules quadratos, inaequales, hirsutos, et subalbescentes, et in eis folia rara, lanuginosa, subalbida, serrata, et Ocymo similia, quanquam paululùm acuminata, odoraque, flores spicatos, et cyaneos, calyculis contentos. Calida, siccaque, et nonnihil adstringenti constat natura, et tamen mederi erysipelatis tradunt tusam, atque impositam. Provenit apud *Quauhnahuacenses* juxta voragines montium.

CAPUT XXXVI.

De XOXOPANTZIN, *seu Planta imbrium tempore proveniente.*

Ideo Xoxopantzin vocata est haec Herba, quoniam imbrium tempore provenire soleat. Est autem ternos longa cubitos, innixa raphaninae radici, fibrataeque, e qua prodeunt caules, et in eis Loti urbanae folia, lutei, ac stellati flo-

res, necnon siliquae teretes, tenues, et longiusculae. Folia, corticesque caulium admoventur dentibus parùm firmis roborandi, et eos firmandi gratia. Nascitur in collibus calidarum regionum *Johalani*.

CAPUT XXXVII.

De XIXIPIN.

Volubilis est genus folia ferens Hederae similia, sed mucronata, et interveniis secundùm longitudinem discurrentibus insignia, florem *Totoncaxoxocoyollin*, radices surculosas, valde candentes, et tenuissimo cortice tectas, impensè lubricas, frigefacientisque, et humectantis temperiei. Eaedem eduntur elixae Batatarum more; nec alium narrant ejus Plantae usum, quanquam fractis ossibus solidandis, uniendisque conferentissimum fore medicamentum nemo dubitet, et quibusque aliis rebus conglutinandis. Nascitur in planis *Tehuitztlae* inter saxa.

CAPUT XXXVIII.

De XIOPATLI, *seu leprae medicina.*

Radici innititur raphaninae, fibrataeque, unde prodeunt caules virides, rotundi, tenues, striati, geniculis intercepti, ac Juncorum forma, et in his folia Origani, minora tamen, et rariora, flores Hyperici in caulibus postremis.

Radix est internè candens, et externè pallescens, initio dulcis, ac resipiens Glycyrrhizam, sed deinde impensè acris; quo fit, ut calidam, siccamque ordine quarto, et subtilium partium esse censeam. Radix in pulverem redacta, ac immista resinae, admotaque exurit, curatque lichenas, et impetigines, imò quaslibet cutis infectiones, ac sordes, unde evenit illi nomen. Provenit in calidis, saxosisque *Temimiltzinci locis.*

CAPUT XXXIX.

De XIOPATLI *altera.*

Herba est caules fundens hispidos, et virentes, et in eis folia hirsuta, et subalbescentia, ac siliquas parvas. Radix redacta in farinam resinae permista ophiasi, et impetiginibus medetur, ablutis priùs ex lotio humano. Provenit in calidis regionibus juxta *Ytztolucae* colles. Radix est aliquantulùm amara, et secundo ordine non sine aliqua siccitate calens.

CAPUT XL.

De XIUHCUECHTLI, *seu Herba sonalis anguini.*

Radicem fundit unicam, unde caules squallentes, quatuor spithamas longos, folia Mali Medicae, verùm longiora, aut Castaneae, sed tamen nonnihil breviora, ac quas-

dam velut spicas in caulibus postremis, a quibus sumsit nomen, ubi semen continetur. Folia cum quadam siccitate infrigidant, ulceribusque medentur. Provenit in frigidis *Ocpayocani* juxta excelsos colles.

CAPUT XLI.

De XOLOPIMATZATLI.

Genus est Pineae Indicae, sed sterilis: folia sunt crassiora, cetera similis. Nascitur humentibus in saxis *Yacapichtlae*, frigidaque, et humida natura constat.

CAPUT XLII.

De XAXAHUACTLI.

Herba est radices fundens capillis similes, e quibusque nodis terra statim attacta, et ex eis caules purpureos, teneros, translucidos, fragiles, teretes, ornatosque foliis *Acaxaxan*, ternis nerveis discursibus recta per singula procedentibus, sed minimè purpurea, aut adeo laevia, ac fructum prolixum piperi longo similem, sed longè tenuiorem. Odora est gustu, calidaque, et sicca tertio ferè ordine temperie. Propinandam ajunt enixis pro eorum more ob partum perfractis, et imbecillibus roborandis, et solidandis. Similis est forma Potamogeto, *Acaxaxaeve*, adeoque illius species; etsi longè diversi temperamenti. Addunt verò non-

nihil Siliquastri Indici ad praedicta praestanda, si febris absit. Provenit *Ocuituci* juxta humentes montium crepidines, quas alluunt rivi, aut aliae aquarum defluxiones.

CAPUT XLIII.

De XOCHITL.

Misit ad nos ex urbe *Uaxaca* veterinarius quidam, hominumque interdum medicus, Herbam, ut ille inquit, ex viridario, quod intra domum colit, evulsam, foliis longis, circa exortum angustis, mox paulisper sese dilatantibus, ac deinde sensim salignorum modo gracilescentibus, quae acris est, et calida ordine paene tertio natura. Cujus decocti jus incocto etiam Roremarino coronario, si caput eo abluatur, aut instilletur naribus, amissam (ut ipse testatur) memoriam restituit, ac dolorem capitis mira brevitate levat.

CAPUT XLIV.

De XUCHIPATLI *Tonallae.*

Radicem fundit longam, ac digitalis crassitudinis, et ex ea caules cinereos, teretes, fragiles, ornatos foliis obrotundis, mediocribus, floribusque candidis, ac magnis. Radix est amara, acris, calidaque, et sicca ordine tertio, et initio subdulcis. Urinam dicitur evocare, et necare lum-

bricos jus decocti radicis epotatum. Nascitur in calidis collibus *Mistecae* inferioris..

CAPUT XLV.

De XUMETL, *seu Sambuco.*

Sambucus nostras est Xumetl vocata Mexicanis, cujus folia applicata ajunt capitis dolorem a causa calida ortum tollere, fronti verò, et naribus sanguinis fluxum retinere, devoratam mederi accessionibus, quae tertio quoque die, quartove repetere solent, vacuato fomite morbi per superna, atque inferna: tusam verò, atque admotam affecto loco dolores ortos e gallica lue curare, et enixarum mederi torminibus. Vocant hanc Arborem *Mechoacanenses Cundemba*, ajuntque aquam colatam, in quam ejus radices injectae sint, purgare corpus, atque ita diarrhoeas sistere, exstinguere febres, et alias ventris, sthomachique solvere morbos; succum verò infusum extergere intestina. Nascitur ubique in frigidis, calidisque locis.

CAPUT XLVI.

De XIUHTLEPATLI, *seu igneo medicamento.*

Frutex est surculosis, eisdemque capillatis innixus radicibus, e quibus profert caules quatuor cubitos longos, et in eis Solani folia, acinosumque fructum, in tres velut partes

divisum, ac totidem grana continentem; extra nigra, intra verò candentia. Tela intincta foliorum succo lethale inferunt vulnus; quo fit, ut toxicum a plerisque vocetur. Germina etiam contusa corrodunt, atque putrefaciunt membra, quibus admoventur. Nascitur in calidis *Mecatlanensibus*, editis, atque humilibus locis.

CAPUT XLVII.

De XIUHPATLACTZIN, *seu Herba lata.*

Radices multas mittit glandibus similes, candentes, translucidas, et ex his porracea folia, pinguia, Gladiolive, nervis secundùm longitudinem procedentibus. Frigida Herba est, humidaque, et febres sedat resoluta ex aqua, atque devorata. Nascitur in frigidis quibusque *Texcallae* locis.

CAPUT XLVIII.

De XIUHTOTONQUI, *seu Herba calida Tototepecensi.*

Radicem fundit surculosam, Helleboro similem, lanugineque obductam, unde prodeunt caules teretes, et in eis folia serrata, aspera, et Limonis ferè forma, sed majora, infernè subalbida, et hispida, et flores purpurei. Radix est amara, calidaque, et sicca ordine circiter tertio, et subtilium partium. Jus decocti ejus lumbricis propinatur interimendis, et propellendis a corpore, flatum di-

scutit, menstrua pellit, urinam evocat, hydropem curat, humores crassos, ac lentos attenuat, sudorem elicit, et dolores e gallica etiam lue ortos sedat, stomachum firmat, ac pectori est valde salubris. *Zazanacae* similis est, adeoque ejus species, nam viribus est aemula, ac tantùm differt forma foliorum, quae etsi aspera sint, oblongaque, et serrata, tamen circa exortum non prorsus cum illis *Zazanacae* videntur convenire. Exsultat in planis, calidisque locis.

CAPUT XLIX.

De XOXOCHUITZTLI, *seu Spina acida Tototepecensi.*

Volubilis Planta est, Arbores scandens, e trunco proveniens quovis, terram attingente in montibus regionum calidarum, Mali Punici fundens folia, bina per intervalla caulis, sed obrotundiora, ac flores purpureos. Frigida, et sicca est, ac nonnihil adstringens. Liquor e germinibus fractis stillans dissipat argemata, et carnem oculorum supervacaneam exedit, caloremque exstinguit. Provenit in calidis, et montosis locis.

CAPUT L.

De XUMAPATLI *Tototepecensi.*

Arbor est magna, folia ferens Crambis, Xenopodisve, sed saniosa, et flores ex albo purpurascentes. Frigida, ad-

stringentique natura constat, et ideo liquor, qui ex foliis incisis stillat, medetur putridis ulceribus oris, si ea colluantur. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT LI.

De XOCOQUAHUITL, seu Arbore prunorum Tototepecensi.

Arbor est folia ferens Limonis, paulò majora, sed multis, exilibusque distincta interveniis, flores albos, Mali Medicae figura, odorosque, et fructum prunis similem, refertum semine, ac praedulci sapore. Frigida, adstringentique natura constat, et ideo cortex radicis, stipitumve dysentericis confert, si jus decocti ejus infundatur bis, terve singulis quibusque diebus. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT LII.

De XOCHIPATLI secunda Tepexicensi.

Herba est radicem fundens digitum crassam, similem surculo, fibratamque, unde prodeunt caules multi, et in eis folia figura cordis, infernè subalbescentia, et flores, ut memorant, nulli. Radix est dulcis, pectori amica, et secundo ordine calens. Praebetur eadem duarum drachmarum pondere devoranda ex aqua leniendi pectoris gratia, et caloris contemperandi. Nascitur in temperatis *Tepexici.*

CAPUT LIII.

De XOCHIALAHUAC, *seu lubrico Flore.*

Arbor est magna, collium, et littoris Maris australis incola, foliis Urticae proximis, serratisque, ac floribus aggregatis in comas, coccineis, oblongis vasculis contentis. Cortex radicis salivosus est, et paulisper calidus, atque ideo ab indigenis usurpatur ad curandas ustiones. Nascitur in temperatis *Tepexicensibus.*

CAPUT LIV.

De XIUHCOCOLTZIN *Tepexici.*

Herba est nascens in planis *Tepexicensibus*, floribus ornata purpureis, et ad species *Coanenepilli* pertinens. Insipida est radix, frigida, siccaque, et nonnihil adstringenti natura. Mederi dicitur punctis unius unciae pondere ex aqua degustata, aut illita.

CAPUT LV.

De XIUHUITLPATLAHOAC *Tepexicensi.*

Herba est apud fluvios erumpens, fundensque radicem longam, et minimum crassam digitum, et ex ea ramos ornatos Ocymi foliis, et luteis floribus. Radix drachmae unius mensura ex aqua devorata medetur tussi, asthmatique. Est enim dulcis, et calida ordine ferè tertio, ac paulisper acris.

Nascitur apud flumina temperatarum, aut in calorem incli-
nantium regionum.

CAPUT LVI.

De XOXOUHCAPATLI *Atoyacensi.*

Herba est fundens radicem transversam, et fibratam, unde prodeunt caules tenues, teretesque, ornati Acaciae foliis, parvulis, serie quadam alterutra parte cauliculorum dispositis, ac floribus modicis, ac purpureis. Radix videtur ad temperiem attinere. Ictericis, ac ventris medetur dolori, calorique, flatui, et pectoris morbis. Idem praestant folia unciae unius pondere e liquore congruenti devorata. Nascitur in temperatis, ac planis locis.

CAPUT LVII.

De XOXOUHQUIPATLI *Atoyacensi.*

Herba est fibratae insistens radici, unde prodeunt caules, et in eis folia Amygdali. Radix est amara, et paulisper acris, calidaque, et sicca tertio circiter ordine. Folia tusa, et devorata unciae unius mensura matutino dicuntur appetentiam semimortuam excitare. Nascitur in calidis collibus, et campestribus locis.

CAPUT LVIII.

De XOCOPATLI *Atoyacensi.*

Herbula est capillis quibusdam firmata, unde mittit cau-

liculos parvos, brevesque, et in eis Graminis folia, et flosculos e luteo purpurascentes. Frigida, et humida natura constat, saporeque, et odore nullo. Succus ejus medetur oculis malè habentibus puerorum. Nascitur in saxis, faucibusque montium regionum temperatarum.

CAPUT LIX.

De XOXOHUICPATLI *Yanguitlanensi.*

Radice firmatur longa, et tenui, unde profert caules geniculatos, et in eis folia saligna, sed longiora, flores in postremis caulibus luteos, Chrysantemo similes. Sapor est dulcis, et temperata natura. Folia ex aqua resoluta, bibitaque semunciae pondere iliacis medentur affectibus, et urinam evocant. Nascitur in frigidis locis *Mistecae* superioris juxta fluminum humentes ripas.

CAPUT LX.

De XOQUITACPATLI, *seu Herba rubiginem olente.*

Herba est caules proferens duas spithamas longos, et in eis folia Ocymi, serrata, angustioraque, et magis acuminata, ac flores, ut referunt, nullos. Saporis mihi visa est expers, calorisque modici. Ajunt hemicraniae mederi, et pectoris dolori radices, foliaque duarum drachmarum pondere epotata. Nascitur apud *Mistecam* superiorem in frigidis collibus.

CAPUT LXI.

De XOXOUHQUIPATLI, *seu viridi medicina.*

Herba est radicibus insistens longis, et tenuibus, unde profert lignosos caules, et in eis folia longiuscula, et tenuia, Ericis foliis similia, ac flores in postremis ramulis luteos, pilososque, et in pappos abeuntes. Frigida, siccaque natura constat, et dysentericis medentur folia tusa, et semunciae pondere ex liquore quopiam adstringenti devorata. Nascitur in cacuminibus montium gelidis *Yanguitlani Mistecae* superioris.

CAPUT LXII.

De XOXOCPATLI *Tepuzculullae.*

Herba est radices agens fibris similes, fulvasque, et ab eis fulvos caules, cavos, tenues, et rotundos, in summo verò flores Chamaemeli, juxta medium ex luteo rubescentes, nigris punctis distinctos, et circumcirca cyaneos, folia verò longa, et angusta, serrataque, et longis pediculis appensa. Radix Pastinacam sapit, calidaque, et sicca constat temperie. Jus decocti radicum singulis quibusque diebus matutino epotatum medetur dysentericis. Nascitur in frigidis, ac siccis collibus *Tepuzculullae Mistecae* superioris.

CAPUT LXIII.

De XIUHQUAHUITL *Thualapensi.*

Arbor est stipites mittens leves, ac rarae materiei, et in eis folia Limonis, quamquam magis acuminata, et cyaneum, ut ferunt, florem. Cortex radicis commansus Pinum olet, calidaque, et adstringenti constat natura. Jus decocti ejus medetur veteribus plagis, si eo abluantur, ac mox inspergatur pulvis foliorum. Nascitur in calidis *Tototepeci* collibus, planisque locis.

CAPUT LXIV.

De XATZEQUA, *seu Herba diminuta.*

Herbula est fibratis radicibus innixa, unde edit caules duos dodrantes longos, tresve, refertos foliolis multis, parvisque, et Polygono similibus, cujus est species, aut loci tantùm natura differens; quamobrem non curavi depingendam. Succus foliorum medetur oculis inflammatione laborantibus, dolentibusve, necnon gutturis, aut cujusvis alterius particulae tumori. Nascitur in frigidis, montosisque locis *Mechoacanensibus.*

DE HISTORIA PLANTARUM
NOVAE HISPANIAE,
LIBER VIGESIMUS PRIMUS,
FRANCISCO HERNANDO,
MEDICO, ATQUE HISTORICO
PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,
ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De ALAHUACCIOAPATLI , *seu lubrica medicina.*

Radici insistit crassae, longae, laevique, unde proferuntur caules multi, lenti, ternos prolixi cubitos, ornati foliis obrotundis, et exsaturato colore virentibus; flore verò, ut ferunt, nullo. Vis est frigida, et salivosa; caulesque tusi, atque devorati ex aqua dicuntur mitigare dolores, enixus difficiles juvare, et dolores sedare a gallica lue ortos. Nascitur in calidis Provinciae *Panucensis.*

CAPUT II.

De AXOCHIATL *, quam alii Cuaztalxochitl, seu Florem capitis candentis, alii Texóxolin, et Panucenses Cuecalpatli vocant.*

Radici insistit fibratae, bulbosaeque, et Nascisso, cujus videtur species, simili, unde profert folia porracea, caulem *Omixochitl*, ac flores albos, magnosque, et turbarum hiatui persimiles. Sapor est nonnihil amarus, impensè lubricus, ac nullus odor. Radicem tusam, atque impositam ajunt lichenibus, nomis, tumoribus praeter naturam, ac praecipuè pedum, statim discussis, aut maturatis opem ferre, uterum purgare, ac procurare conceptionem: eamdemque laevigatam, et semunciae pondere ex aqua bibitam dysenterias coërcere. Jus decocti ejus ad tertias cum salis modica portione bibitum nimium menstruorum fluxum sistere: succum verò instillatum aurium dolores sedare, et fluxum sanguinis narium retinere: tusae radices, et applicatae medentur arthriticis. Nascitur Mexicanis, Panucensibus, et *Mechoacanensibus* agris, ubi *Parasteni* eamdem Plantam vocant.

CAPUT III.

De AHUYACPATLI *Panucina.*

Radicem profert Raphani, fibratam, flores luteos, ac per ambitum pilosos, folia Malvae, pariter pilosa, cujus

videtur species: nam praeter formam, quae illi adhuc dissimilis est, frigida, et salivosa constat natura. Succus epotus mederi dicitur febribus, atque hepatis calidae distemperiei, necnon et urinae, ac renum ardori: semen autem tostum, ac bibitum vomitum coërcere. Nascitur in calidis *Panucinis*.

CAPUT IV.

De ACAXILOTL.

Herba est radici innixa raphani forma, et arenti, arundinaceave membrana contectae, sed geniculatae, et arundineas quadantenus imitanti, unde prodeunt folia Plantagini similia, sed longè majora. Editur radix panis loco cruda, coctave, jucundumque, succo manans, nec omnino malum praebet alimentum. Nascitur *Panuci*.

CAPUT V.

De HARÁNDIQUA.

Radix est tenuis, et longa, caules quaternos dodrantes prolixi, folia Salicis similia, et subalbidi flores. Amara est, calidaque, et sicca ordine tertio; quo fit, ut dolorem stomachi leniat, et tussientibus auxilietur pulvis ejus drachmae unius pondere ex aqua devoratus. Nascitur in temperatis, humidisque *Uruapae* Provinciae *Mechoacanensis* locis. Solent

etiam gratia levandi doloris ventriculi terna folia matutino offerri, quemadmodum illa Cardui benedicti solent sistendi defluxus, atque aliorum non mediocrium usuum gratia.

CAPUT VI.

De ACUMBA.

Olus est odorum, edule, et calidum; Teucrion videtur, aut ejus species, vocataeve Pimpinellae, aut Saxifragiae. Radix est longa, et tenuis, folia Laveris, aut Pimpinellae, et flos luteus in comae modum in caulibus per terram sparsis. Nascitur in planis, humectisque locis, temperatisque Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT VII.

De ACÀNGURIS.

Radici insistit crassae, et contortae, binarum glandium asphodelinis similium, mollium, et refertarum succo, ac velut *Zazanaca* valde lanuginosarum, fibratarumque, unde profert teretes caules, refertos lenta medulla, ornatosque foliis hederaceis, et angulosis, ac florem album, et rotundum in pappos abeuntem. Radix est acris, odoraque, calefaciens, et exsiccans ordinis tertii temperie, ac partium subtilium. Eadem tusa, et ventri applicata dicitur mederi diarrhoeis, ac suffitu procurare conceptionem; quo fit, ut

Tingambatenses Phehuame vocent. Nascitur in frigidis collibus, planisque locis Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT VIII.

De *ATICPÌRAMOCURÁQUA.*

Arbor est folia ferens Mali Medicae, sed minora, ac flores inter folia coacervatos, et candentes. Cortex stipitis amarus est, calefaciensque, et exsicans ordine secundo, folia verò non adeo. Jus decocti foliorum medetur scabiei. Nascitur in frigidis collibus Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT IX.

De *ANTZAMIZCUA.*

Arbor est magna, folia ferens Mali Medicae, sed obrotundiora, et breviora, flores pallentes, àc fructum pruni magnitudine, dulcem, includentemque os, cujus nucleus, qui nonnihil amarus, et acris est, redactus in pulverem, ac corrosis dentibus admotus morbum curat, sedatque dolorem. Videtur ad *Tempixquiztli* genus pertinere, quamvis fructus ejus non nucleum, sed semina includat intra se, et ideo depingendam non curavi.

CAPUT X.

De ACAPATLI.

Arbuscula est hominis altitudine, radice firmata surculosa, unde prodeunt stipites cavi, leves, et quadrati, Raphani ornati foliis, sed crenata per ambitum, serrae, aut vocatae Dentariae in modum, floremque fert album, et fructum nullum. Sapor est amarus, jucundus odor, ac vis calefaciens. Folia tusa, et applicata lienem absumunt, et ejus dolorem sedant. Nascitur apud *Panucenses*, ubi etiam vocatur a quibusdam *Quauhecapatli*.

CAPUT XI.

De APAREQUA *tertia.*

Arbor est folia ferens Ocymi, sed minora, et terna, ac florem, ut referunt, nullum. Vis est frigida, siccaque; quamobrem narrant jus decocti foliorum epotatum mederi ulceribus, quae ex gallica lue solent evenire. Nascitur in collibus frigidis regionis *Mechoacanensis*.

CAPUT XII.

De APAREQUA *quarta, seu Planta lancinante, et Urticae modo urente.*

Radici innititur prolixae, tenui, contortae, et fibra-

tae, unde profert caules, et in eis folia Urticae similia, et circa summas caulium partes terna grana, hirsuta, coriano paria forma, et magnitudine, et sibi invicem cohaerescentia, ac flores candentes. Vis est frigida, siccaque, ac repellens tumores praeter naturam, et febres exstinguens, si folia tusa applicentur, aut illinantur. Nascitur in temperatis *Mechoacanensibus*, campestribus, aut montosis locis.

CAPUT XIII.

De *APATZIPUNTZUMETI.*

Radici insistit surculo simili, unde profert caulem rectum, brevem, teretemque, et in eo folia rara, longis pediculis appensa, ocymina, et circinata, et in summo flores orbiculares, Chamaemelo similes, e fulvo candescentes, ac semen aniso simile. Radix corianum olet, calidaque, et sicca constat temperie. Eadem ex aqua resoluta, atque epotata dysentericis medetur, et his, qui quartanis circuitibus infestantur: jus decocti ejus confert cruribus oedemate affectis, si eo abluantur, praecipuè adjuncta *Qhueramberi*, de qua suo loco. Nascitur in frigidis regionibus *Mechoacani.*

CAPUT XIV.

De *AXIHUITL* *Cuzamallae.*

et imagines videri queant, ac fructum malo punico forma, colore, et magnitudine similem, unde sumsit apud Hispanos nomen; sed corona nulla, et cui jam arescenti, atque agitatae insonet semen, quod pyrorum semini non est absimile, et punctis pulcherrimis distinguitur, intus candet, ac saporem praefert nullum. Fructus hic, cùm primùm maturescit, liquore oppletur aliquantulùm acido, qui ruptus ovi instar sorberi solet ab Indis, atque Hispanis incolis non injucundè; gratus enim est gustui, alvum emollit, et nullum gravitatis infert sensum.

CAPUT XXXVI.

De MAZAPATLI.

Herba est duos dodrantes plùs, minùs longa, radicibus insistens surculosis, unde profert caules tenues, teretesque, et in eis folia subalbida, Olivae proxima, sed angustiora, ac flores, ut ferunt, albos. Radix est acris, odorata gustu, resinosa, calidaque, et sicca ordine quarto, urensque guttur. Eadem tusa, et resoluta ex aqua trium drachmarum pondere pituitam, ac bilim purgat, cachexique, et hydropi confert. Provenit in calidis *Totomihuacani* imbrium tempore circa montium fauces, et loca humentia.

CAPUT XXXVII.

De MACUILYMA, *seu Herba quinquefolia Zayulae.*

Frutex est surculosis innixus radicibus, unde proferuntur stipites, et in eis folia quina, crenata per ambitum, unde nomen, floresque parvi, ac fulvi. Nihil adhuc de hac Planta, quod Medicinae inserviat, accepi: depingendam tamen curavi vel ob formae praestantiam, vel quòd odore, et sapore Anethi aemula sit, ejusque vires sortiri videatur. Nascitur *Zayulae.*

CAPUT XXXVIII.

De MATLALXOCHITL *Zayulae.*

Herba est tenues, et quadratos proferens caules, et in eis folia vocatae *Partesanae* similia, ac flores cyaneos, vocatae *Alabardae* persimiles, utrinque ab exortu foliorum prodeuntes (non enim gravor barbaris dictionibus uti perspicuitatis gratia, ubi desunt res notae Latinis, quibus Herbarum partes conferri possint, et exquisitè significari). Odora Planta est, acris, et Salviam resipiens, cujus existimo viribus magna ex parte pollere; nihil enim de ea, quod ad usus medicos spectet, accepi, et tamen ob formam, et suavem odorem non duxi contemnendam.

CAPUT XXXIX.

De *MAZANENEPILLI* *Zayulae.*

Radicibus insistit fibris similibus, unde profert caules fulvos, et in eis folia *Tzacutli*, aut Plantaginis, quam vocant lanceolatam, ac coccineos flores; unde oriuntur vascula oblonga, continentia semen. Frigidis, humidisque viribus constat, ac decoctorum foliorum jus matutino, quoties expedit, devoratum hepaticis dicitur conferre. Toto anno provenit juxta frigida, et saxosa loca.

CAPUT XL.

De *NEXPAYAN* *Hoexotzincensi.*

Arbuscula est hominis altitudine, foliis Salviae minutim serratis, infernè candescentibus, et hirsutis, odorisque, fructu, floreve rotundo, parvo, molli, lento, ac Gossypio simili. Stoechada quadantenus olet, et acrem saporem, et subamarum praefert: sed vis est ordine tertio calefaciens, atque exsiccans. Folia pugilli mensura cum vicenis Mayzii granis tusa, atque ex aqua devorata dicuntur pituitam per inferna egregiè evacuare. Provenit *Hoexotzinci* juxta montium fauces, totoque anno virescit.

CAPUT XLI.

De OLOPIO.

Arbor est magna, Mali Medicae foliis, sed majoribus, ramosaque. Cortex stipitum redactus in farinam, et inspersus medetur ulceribus. Nascitur in montibus calidis *Panuci.*

CAPUT XLII.

De OLONPATLI.

Herba est in satis *Panucensibus* culta nascens, Olivae foliis, flore candenti, ac semine frumenti forma; quod tusum centum granorum mensura, et ex aqua devoratum medetur epilepticis. Est autem subdulce cum quadam amaritudine.

CAPUT XLIII.

De OCUILTLACOTL *Tizayucae.*

Radicibus insistit fibratis, unde profert caules teretes, exiles, atque e nigro in cyaneum tendentes colorem, et in eis folia Lini, minora tamen, serrataque, et e contrario per modica intervalla utrinque disposita, flores verò juxta summos caules exiles, spicatos, cyaneoque micantes colore. Vis est calida, atque sicca ordine tertio, tenuesque partes: sapor amarus, nonnihil acris. Interimit, pellitque ventris tineas, unde nomen; discutit flatum, ac frigus pellit. Provenit *Tizayucae.*

CAPUT XLIV.

De OTLAXOCOYOLLI *Zayulae.*

Herba est radicibus insistens arundineis, unde profert caules geniculatos, et in eis folia Plantaginis, multis nerveis discursibus distincta, sed longè majora, ac florem in summa parte caulis oblongum, et fulvum. Acido sapore constat, et difficultati respirationis dicitur mederi tusa, resoluta ex aqua, atque epotata; ita enim ferunt pituitam

incindi, atque propelli. Provenit toto anno, et clementi caelo nasci gaudet.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER VIGESIMUS TERTIUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO, ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De PAPANTAPAZOLLI.

Species est Filicis, eademque constat natura. Nascitur aquosis, et calidis locis *Panucensis* regionis.

CAPUT II.

De Herba illa, quam vocant DE LA PLAYA.

Herba, quàm vocant DE LA PLAYA, Dioscorides verò Brassicam marinam, allata est a nobis a littore maris septentrionalis non longè e *Panuco*, quae e radicibus tenuibus caules profert tenues, teretesque, et sparsos per terram, or-

natos foliis oblongis, Hederae haud dissimilibus, interdum sinuatis, et in tres cuspides divisis, tam variis distincta etiam in unica Planta sinuum differentiis, ut a sese prorsus distare videantur; adeòque duplici eam exhibuimus depictam forma. Decocta, ingestaque cum oleo, et aceto oleris modo dicitur ventrem leniter purgare. Nascitur in maritimis, et sabulosis locis.

CAPUT III.

De PUTZUTE, *seu Planta odora, seu Tlalahuacatl.*

Mirè utilem asthmaticis esse praedicant, si jus decocti totius Plantae loco aquae fontanae, quoties expetat sitis, bibatur.

CAPUT IV.

De PATZITZQUA, *seu Planta nervos corroborante.*

Herbula est Asaro nostrati, et *Yzticpatli Yanguitlanensi* forma omnino similis, sed foliis rotundioribus, flosculis albis, ac semine sinapi simili, sapore dulci, temperata natura, salivosisque radicibus, et nonnihil adstringentibus. Appetentiam excitat, medetur diarrhoeis, et febrilem calorem placat, quin et retentum semen pellere dicitur, et urinam ipsam evocare. Provenit in temperatis *Yperihuani* Provinciae *Mechoacanensis*, et *Huexotcinci* humectis locis, ubi *Ahoaquiltic* vocant.

CAPUT V.

De PESEN.

Herba est nascens in frigidis collibus *Mechoacani*, radice surculosa, lentis caulibus, serratis foliis, obrotundisque, et subluteis floribus. Foeniculi refert saporem, et nonnullum videtur calorem participare. Jus decocti foliorum dicitur mederi exanthematis.

CAPUT VI.

De PINTZAQUA, *seu Herba habente folia rotunda, naevis similia.*

Herba est radicibus insistens tenuibus, longis, luteisque, unde profert caules teretes, ac exiles, et in eis folia terna, rotunda, mediocria, firma, sed obtusis quibusdam angulis distincta, et candentes flores. Radix laevigata duarum drachmarum pondere, et ex aqua pota, bilim paulatim purgat, et appetentiam excitat: est autem semel tantùm quotidie devoranda. Nascitur in temperatis *Mechoacani.*

CAPUT VII.

De PUTZUTEZ.

Nascitur in temperatis *Mechoacani* juxta fluminum ripas, radici insistens surculosae, lignosaeque, unde profert ramos lignosos, et in eis folia Abrotani maris, albosque flores con-

gestos in capitula. Calida est, salivosaque, et partium tenuium, et lancinans, velut Plantae, quas *Quequexquic* vocant Mexicani. Gutturis autem ferunt mederi tumoribus.

CAPUT VIII.

De PAXÁRUCUA.

Herba est in calidis proveniens *Mechoacani*, planisque, et ripis fluminum, hirsuta tota, atque subalbida: caules haec profert teretes, tenues, repentes per terram, ac per intervalla geniculatos, folia verò tricuspidia, flores albos, capreolos multos, ac vesicas juglandibus paene pares, refertas semine. Paululùm calenti videtur constare natura, atque ita jus decocti ejus infusum ajunt spleneticis mederi.

CAPUT IX.

De PICIYATL.

Volubilis est folia ferens *Ezmaitl*, sed longè minora, radicem longam, crassam, ac refertam fibris, flores candentes, ac nigrum semen, nec dissimile *Ololiuhqui*. Calida natura praedita est. Folia, semenve tusa, et applicata tumores discutiunt, ac dolores sedant. Provenit *Tamui* Provinciae *Panucensis*, nascitur etiam *Axochitlani*, ubi ajunt erysipelatis, et oris ulceribus mederi.

CAPUT X.

De POPOTO *Panucensi.*

Radices sunt paene capillis similes, cauliculi breves, exiles, et teretes, Origani folia, ac flores parvi, et virides. Amara est, et gustu odora, ac simul cum Ammi dicitur mederi his, qui constituti jam in postremo periculo difficilè trahunt halitum.

CAPUT XI.

De PONIHIXHUIZ, *seu Topili.*

Nascitur in calidis, et humidis locis, cultisque. Profert teretes, ac tenues caules, hominis altitudine, et in eis folia Elaphobosci, serrata, flores parvos, et coccineos, ac fructum orbicularem, similem coriano. Sapore, et odore insigni caret. Jus decocti ejus medetur dysentericis, ac coërcet nimium fluxum menstruorum. Provenit apud *Panucenses.*

CAPUT XII.

De POZCOT *Panucensi.*

Nascitur haec Arbor juxta montium fauces regionum calidarum. Folia Cotonei fert, sed majora, flosculos candentes, ac glandes includentes nucleos rotundos, nucum ponticarum referentes saporem. Hi dulces sunt citra ullam qualitatem excedentem. Medentur tussi, capitisque, et ventris dolorem placant.

CAPUT XIII.

De PILTZINTECXOCHITL *Panucensi.*

Herba est radicibus insistens fibris similibus, unde profert caules dodrante paulò longiores, ornatos foliis salignis, ac circa summum luteis flosculis. Sapor est acris, calidaque, et sicca ordine tertio facultas; quo fit, ut succus foliorum sali commistus, et instillatus medeatur surditati, auriumque, et dentium dolori, ita ut nunquam revertatur morbus. Nascitur in agris *Panucensibus*, humidisque locis, et montium faucibus.

CAPUT XIV.

De PEZO.

Herba est radici insistens crassae, et prolixae, ex qua profert pediculos dodrante longiores, et in eis folia serrata, alis circa exortum insignia, mox sensim attenuata, ac dilatata rursus, iterumque attenuata donec in mucronem finiant, denique forma quadam peculiari insignia, et quae nullis aliis queant comparari, nisi fortassis cuiquam Soncho similia videantur; flores verò rubentes. Sapor radicis initio subdulcis est, et impensè resinosus, postea verò amarus, et cujusdam acredinis particeps, ac vis calida, et sicca ordine tertio. Pectori est utilis radix, ventriculoque ex temperie frigida imbecilli, aliosque permultos hisce similes prae-

stabit usus, qui ex praedicta temperie facilè comprehendentur; quanquam Indi, qui unam tantùm, aut alteram singularum Herbarum facultatem norunt, ventriculi dolorem sedare illitam asseverent, nec quidquam praeterea aliud nosse fateantur. Nascitur in temperatis locis regionis *Mechoacanensis.*

CAPUT XV.

De PUNTZUMETI, *seu odora Planta.*

Offenditur in collibus regionum frigidarum *Mechoacani* Junci genus, radicibus parvis, obrotundis, et fibratis insistens, atque inde proferens folia longiuscula, et exilia; cujus radicis sapor initio dulcis est, gratus, atque adstringens, verùm deinde sentitur impensè amarus, et glutinosus. Jus decocti earumdem matutino aliquoties potatum dicitur magnopere conferre his, qui ob frigidam distemperiem, aut pituitae obstruentem redundantiam sensim extenuantur, atque contabescunt.

CAPUT XVI.

De PERPENA.

Ad species *Chian* videtur referenda, quibus est forma persimilis; vis autem frigefaciens, ac sapor insignis paene nullus. Tumores praeter naturam dicitur applicata repellere. Provenit in frigidis, humectisque, et planis locis regionis *Mechoacanensis.*

CAPUT XVII.

De PEMOHOMO.

Frutex est humilis, spinosus, foliis rutaceis aliquantò majoribus, ac flosculis coccineis. Amarus est, et adstringens, atque ideo ruptis miram dicitur opem ferre. Nascitur in collibus temperatis regionis *Mechoacanensis*.

CAPUT XVIII.

De PAPALOQUAHUITL *Panucensi, seu Arbore ferenti folia similia alis papilionum.*

Arbuscula est ramosa, folia ferens hiulca, animalium bifidorum ungulis quadantenus similia, ac velut divisa in bina, nigrae Populo paria; noctu claudi consueta, ac hiare matutino; flores coccineos, et Rhoeadis Papaveris similes, ex quibus demum siliquae fiunt minimè edules, sed phaseolorum figura. Succus foliorum, quae insigni sapore carent, frigidaeque, et siccae videntur temperiei, instillatus aurium, et dentium dolorem sedare dicitur. Nascitur in calidis, humidisque *Panuci* locis, juxta montana, et praerupta loca.

CAPUT XIX.

De PIPITZAHUAC *Chulullensi.*

Herba est radicibus innixa fibratis, unde prodeunt caules duos dodrantes longi, tenues, teretesque, et in eis folia rectae Verbenacae, ac flores Gossypii modo. Radix nullum praesefert egregium odorem, aut saporem, sed frigida, et humenti constat natura: quo fit, ut drachmarum duarum pondere tusa, atque devorata dicatur febres exstinguere. Provenit imbrium tempore siccis in locis, adeòque apud *Chulullenses.*

CAPUT XX.

De Arbore vocata PACAL.

Non longè ab urbe Lima, Peruinae Provinciae regia, juxta littora fluminis cujusdam exsultat Arbuscula Pacal nomine, quae redacta in cinerem lichenibus, ac vulnerum vestigiis dicitur miro eventu mederi.

CAPUT XXI.

De PAICO *Herba.*

Provenit in eadem Provincia Herba Paico vocata, foliis Plantaginis ferè figura, acribus tamen, et quae loco affecto applicata iliacis medeantur. Ibidem nasci audio Ar-

borem foliis, et magnitudine Ulmo similem, sed de nomine mihi incognitam, cujus radix acris est, non sine quadam adstrictione, atque ideo corticis pulvis injectus naribus caput purgat, et pituitae medetur. In eadem Provincia effossa terra eruitur radix Tuberum modo nullis innixa fibris, aut quempiam fundens caulem, et pulchro aspectu, semidigitali magnitudine, teres, contorta, depicta, et gilvi coloris: nucleus internus insonat arescenti, qui amygdalo candenti similis est, ac similiter in duas partes divisus, cortice tectus fulvo, edulis, jucundo sapore, et nucibus ponticis haud dissimili. Est praeterea ejusdem regionis alumna Arbuscula, Ilicis forma, incurva, foliis Filicis, et fructu amaro, orbiculari, nucis juglandis magnitudine, contecto glutinoso quodam callo, quo exempto globulos precarios, quos saponarios vocant, quoniam smegmatis vicem praestant, parare solent, firmos, et nigro ebani colore splendentes; quam Plantam audio nasci jam apud Hispanos. Ibidem reperias Herbam valde amaram ab incolis Hispanis ob foliorum formam, quae virore exsaturato tincta sunt, *Lactucellam sylvestrem* vocatam, quae dentium dolori succurrit, si jure decocti, aut succo colluatur affectus locus, ipsaque tusa folia imponantur: necnon et aliam, quae fracta ossa conglutinet: qua facultate quamplurimas pollere apud Novam Hispaniam ex nostris Libris facilè deprehen-

detur. Arborem etiam ferunt (quanquam his non facilè fidem adhiberem) in eadem regione nasci, quà Indi vitam, si placidè aprehendatur, praesagiant; si contra, perniciem aegrotantibus praenuntient.

CAPUT XXII.

De PITZAHOACTLACOTL *Tezontepeci.*

PITZAHOACTLACOTL Herbula est radicibus innixa helleborinis, nigrisque, quo factum est ut *Tlilticpipitzahoac* a quibusdam vocetur, et eodem nomine venditetur in emporiis. Profert cauliculos tenues, teretesque, et in eis folia Origani circinata, et flores luteos. Vis est *Pipitzahoac primae*, quam *Joannis Infantis* Herbam alii vocant, itidemque ejus radix est acris, et lubrica, urens guttur, et bilim, pituitamque vomitione, aut alvo excitata vacuans semunciae devorata pondere. Provenit secus aquarum defluxiones in excelsis collibus *Tezontepeci.*

CAPUT XXIII.

De PITZAHOACQUEQUEXQUIC *Epazoyucae.*

Radicem profert capillatam, et ex eà caules tenues, teretesque, ornatos foliis salignis, sed circinatis, ac floribus obrotundis, et purpurascentibus. Acris est, gutturque lancinans, unde *Quequexquic* vocant, calidaque, et sicca ordi-

ne quarto. Evocat recenter enixis menstrua *Cihoapatli* more, frigus pellit, ac flatum discutit, sive devoretur, sive infundatur. Nascitur in frigidis, campestribusque *Epazoyucae* locis procul ab aquis.

CAPUT XXIV.

De QUEMITZALXIHUITL.

Caules profert lenta refertos medulla, rotundosque e radice raphano simili, acri, nonnihil amara, calidaque, et sicca ordine tertio, et in eis folia oblonga, serrata, asperaque, alata circa pediculum, et adeò cuivis rei adhaerescentia, ut aegerrimè possint avelli; flores verò e luteo rubescentes. Pulvis foliorum inspersus medetur ulceribus, pustulisve a lue gallica profectis: arida enim magnopere sunt, et quidquid attingunt, statim desiccantia. Provenit in calidis *Panucinorum*. Vocatur a *Mechoacanensibus*, apud quos quoque nascitur, *Quareretupe*, seu *glutinosa*.

CAPUT XXV.

De QUACECECPATLI.

Arbuscula est folia ferens Limonis, flores coccineos, parvos, quibus decidentibus apparet semen lenti simile. Succus ejus instillatus naribus dolorem capitis sedare solet, folia verò tusa, et ex aqua devorata febres. Frigida enim, et lubri-

ca constat natura. Provenit in calida *Panucensium* regione.

CAPUT XXVI.

De QUARÁNNIQUA, id est fractorum medicina.

Herbula est radice longa, et tenui, foliis salignis, sed minimè hirsutis, ac flore candenti, et spicato. Radix est dulcis, et adstringens, et cujusdam amaritudinis particeps; quo fit, ut fracta ossa consolidet tusa, admotaque, unde nomen. Provenit temperatis locis Provinciae *Mechoacanensis*; videturque ad Oxylapathi genera pertinere.

CAPUT XXVII.

De QUAUHMECATL.

Volubilis est Arbores scandens, atque implicans ad usque quingentos passus longitudinis, Amygdali foliis, minuto flore, virentique, aut semine tota referta, innixa radici candenti, tenui, et longae, unde prodeunt cauliculi teretes, gracilesque. Vis ejus ad temperiem spectat, aut ad nonnullum calorem. Radix drachmae unius pondere laevigata, ac pota ex aqua, illitave lateris medetur dolori. Nascitur in calidis, planisque Provinciae *Mechoacanensis*, sylvosis locis, et Arborum frequentia amoenis.

CAPUT XXVIII.

De *QUATETLATIANI*.

Volubilis est spinosus, nascens in calidis, et humidis locis, umbrosisque, et montium faucibus. Folia fert Limonis, sed magis acuminata, florem candentem, et modicum, ac fructum similem *Chayotli*, sed cavum, et includentem fabam, parem *Cacaoatl*, arentium cicerum sapore; cujus nucleus tusus, ac duarum drachmarum pondere devoratus curat dysentericos, et dolorem ventris placat; quod facit etiam impositus.

CAPUT XXIX.

De *QUAUHAYACACHTLI Panucensi*.

Arbuscula est hominis aequans altitudinem, ramosa, frondosaque, proveniens in humidis montium faucibus regionis *Panucensis*, folia ferens Mali Medicae, latiora tamen, et breviora, et fructum nuci juglandi adhuc virenti similem, quo pueri jam arescente sonalium loco uti solent. Vis est frigida, et adstringens, et tamen referunt folia in farinam redacta, et infusa naribus hemicraniis e vestigio mederi.

CAPUT XXX.

De QUAUHITZAPOLI.

Herba est caules ferens tenues, teretesque, et in eis folia rara, Althaeae similia, longis pediculis appensa, serrata, infernè nonnihil hirsuta, subalbida, valde mollia, et non longè a cuspide alata, unde incipiunt attenuari undulatim in mucronem, ac verticillos per intervalla illis Marrubii similes, spinosos, vestibusque, et caudis jumentorum adhaerescentes, et florem luteum, parvum. Temperies est paulisper frigida. Numeratur ab indigenis inter acopa medicamenta, ut cujus cortex, foliaque devorata ex *Caçaoatl*, aliave potione, aut liquore lassitudinem levet contractam ex itinere, aut alio quovis labore. Nascitur apud *Panucenses* quibusque locis.

CAPUT XXXI.

De QUAUHITZOPOLI.

Herba est folia ferens Mali Medicae, crenata per ambitum, infernè subalbida, ac flores candidos, tenacissimè quibusque occurrentibus rebus adhaerescentes, in caulibus sublutea lanugine hispidis, qui prodeunt a radice fibrata, ac fructum nullum. Vis est frigida, siccaque, et sapor insignis nullus; quo fit, ut trita folia, et ex aqua devorata nauseam

sedent, vomitumque, febribus medeantur, tueanturque a lassitudine eos, qui laboris genus aliquod sunt subituri. Nascitur apud *Panucenses*.

CAPUT XXXII.

De QUACHOTL.

Arbuscula est tenuis, hominis altitudine, folia ferens magna, ungulae taurinae similia, firma, crassaque; quo fit, ut indigenae Hispani *Ungulam vaccinam* vocent, ac florem, ut ajunt, nullum. Et quamquam sapor foliorum subdulcis sit, temperataque, aut paululùm frigida natura, et ad exstinguendas febres tusa ex aqua exhibeatur; tamen non ob id, sed ob peregrinam formam foliorum delineandam curavimus, quibus nulla fortassis alia reperiantur similia. Nascitur apud *Panucenses* in calidis, atque humidis locis.

CAPUT XXXIII.

De QUATÁXUQUA *tenuifolia.*

Herba est radicem proferens longam, tenuem, et contortam more *Tlalcocol*, ex qua edit caules sesquidodrantem longos, et in eis folia prolixa, et angusta, et in summo flores purpureos in comam compositos. Radix est frigida, siccaque, et nonnihil adstringens, atque ideo referunt universam hanc Plantam tusam, et applicatam bis, terve dolores renum sedare. Provenit in collibus frigidis regionis *Mechoacanensis*.

CAPUT XXXIV.

De QUAUHXOCOC *Chulullensi.*

Herba est radici insistens napi forma, ex albo rubescenti, tenerae, ac plenae succo, ex qua mittit caules geniculatos, sesquidodrantem prolixos, et in eis folia minutim serrata, et ternis magna ex parte sinubus divisa. Radix est amara, subacidaque, folium acidum, et edule, adeò ut in species *Xoxocoyolin*, quas nostri Oxalidas vocant, videatur ea Herba referenda, fructus verò orbicularis, et acinosus, nec vocatis *Tomame* dissimilis. Radix duarum drachmarum pondere tusa, atque devorata pituitam, et bilim purgat, et membrorum gravitatem pellit: eadem exhibetur infantibus, sed unius tantùm drachmae mensura matutino tempore, et

nullo priùs assumto cibo. Provenit in humidis locis Provinciae *Chulullensis.*

CAPUT XXXV.

De QUAUHCAMOTLI *Chulullensi.*

Herbula est radicibus innixa Batatis vocatis similibus, teneris, succo manantibus, extra nigris, et intus candidis; unde profert cauliculos breves, et in eis folia Origano similia, minimè serrata. Radix amara est, et virus, ac praecipuè Paeoniae olens, calidaque, et sicca ordine tertio natura. Eadem tusa tumores quosvis applicata dissipat, et Paeoniae vires, ut mihi quidem ex sapore, et odore colligere licuit, per omnia aemulatur. Nascitur in humidis locis regionis *Chulullensis.*

CAPUT XXXVI.

De QUAUHITZTLI *Chulullensi.*

Herba est caules ferens rectos, teretes, ac tenues, et in eis folia Origani, minimè serrata, ac flores rubeos, longiusculos, et vasculis contentos. Frigida, et humida natura constat, atque in pulverem redacta, epotaque calorem nimium placat. Nascitur in locis montosis, humidisque, atque adeò juxta *Mexicensem* Aethnam.

CAPUT XXXVII.

De QUAUHTETEPON *Ychcateupae.*

Herba est radice, foliis, floribusque adeò similis Agerato Dioscoridis, ut eamdem illi esse, aut congenerem meritò possit quispiam existimare. Amara est, calidaque, et sicca prope tertium ordinem temperie; cujus radicis corticem tusum, atque devoratum semunciae pondere ex aqua ajunt indigenae supra, infraque bilim vacuare.

CAPUT XXXVIII.

De RANTUMBUS *Jucatanica.*

Herba est fibratis innixa radicibus, et sanguineis venis velut conspersis, unde prodeunt caules rotundi, hirsuti, cavi, et sex plùs, minùs dodrantes longi, ornati foliis ocyminis, nervis tribus secundùm longitudinem discurrentibus, ac inde aliis permultis ad latera, floribusque croceis, rotundis, et parvis, ubi semen, sed foliolis ejusdem coloris parvum malum ambientibus, et stellularum indicantibus formam. Nonnihil amara est, et cujusdam calorificae, et salivosae naturae particeps. Venenatis ictibus, potionibus, ac morbis medetur, et admota, et devorata venenum quoque vomitu pellit, lumbricos necat, vomitioneque, et secessu deturbat a corpore, vulnera applicata conglutinat, et ulceribus quoque remedio est, utero confert, ventrem, et intestina emundat, et dysenteriis medetur. Nasci-

tur *Jucatani*, unde illi nomen, quanvis et in aliis locis hujus Novae Hiſpaniae velut in *Ingenio* vocato *Orizavae* provenire quoque contingat.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER VIGESIMUS QUARTUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO, ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De SIHUA, *seu Mototzintzapotl.*

Arbuscula est foliis ternis, Mali Medicae similibus, sed minoribus, et tenuioribus, floribus purpureis, compositis in comam, et fructu *Cochitzapotl.* Vis est calida, et glutinosa. Folia tusa, et applicata dolorem mitigant, etiam a gallica contagione profectum. Nascitur in calidis, planisque locis Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT II.

De SIRURI, *seu Volubili.*

Siruri, quam Mexicani *Mecapatli* vocant, Herba est radicibus insistens longis, candentibus, teretibusque, et capillatis, unde profert cauliculos breves, refertos per intervalla foliis sibi alterutra parte respondentibus, similibus origaninis, ac floribus, ut referunt, nullis. Radix est subdulcis, amaraque, et glutinosa. Torminibus enixarum dicitur mederi, si tota Planta tusa, et calefacta ventri illinatur. Nascitur in planis, humectisque, et temperatis *Mechoacani* locis.

CAPUT III.

De SINCHENE.

Radice firmatur longa, fibrata, et tenui, unde eduntur caules, et in eis folia Olivae similia, ac flores in summa parte candentes. Radix est dulcis, et glutinans, medeturque admota scabiei. Nascitur in temperatis, planisque locis regionis *Mechoacanensis*, ac juxta fluminum ripas.

CAPUT IV.

De SATLINILIPATLI *Tetelae.*

Volubilis est caules fundens tenues, ac teretes, et in eis folia Menthae, fructum verò cornuum taurinorum, sed prae-

longorum figura, et quae candida lanugine referta sint, et semine *Chilli* persimili. Acri sapore constat, calidaque, et sicca ordine tertio natura, et lacte manat, quod vulneribus dicitur mederi. Nascitur *Tetelae*.

CAPUT V.

De TEPATLI, *seu in saxis proveniente medicina.*

Volubilis est radici insistens orbiculari, candenti, taurino testiculo simili, et desinenti in surculum, unde mittuntur caules volubiles, tenues, et ornati foliis laevibus, virentibus, pinguibus, nec dissimilibus illis Vitis albae, sed alatis circa exortum. Radix est amara, calidaque, et discutiens praeter naturam tumores. Nascitur *Huexutlae* Provinciae *Panucensis*.

CAPUT VI.

De TETEXOTZIN.

Malvae species est, aut Alceae; folia enim, semenque similia sunt, frigidaque, et salivosa natura. Febres puerorum illita exstinguit, ac vomitum devorata compescit. Nascitur in calidis, humidisque locis Provinciae *Panucensis*.

CAPUT VII.

De TZOCUIPATLI.

Radici insistit fibratae, unde profert caules teretes, hir-

sutos, subalbidosque, et in eis folia Ocymi, sed longè majora, profundiùs serrata, hispida, altera parte candescentia, et *Cihoapatli* non dissimilia, luteosque superiore parte, orbiculares, et pilosos flores. Radix est odora, resinosa, amaraque, et calida prope ordinem quartum temperie. Jus decocti ejus ad tertias semel dumtaxat bibitum dicitur restituere motum impeditum, instillatum verò naribus hemicraniae mederi detracta per nares pituita. Nascitur in montibus regionum calidarum, qualis est *Panucensis*.

CAPUT VIII.

De TZOCUITZIPONITLI.

Radici insistit fibratae, unde profert caules lignosos, et in eis folia paene Origani, ac semen Malvae simile; cujus species videtur, nisi potiùs sit in Alceas referenda; frigida enim, et lubrica natura constat. Folia tusa, et ex aqua devorata dicuntur sedare ventris dolorem. Nascitur *Panuci*.

CAPUT IX.

De TZACYXBEQUEN.

Radicem agit tenuem, et fibratam, caules hirsutos, ac teretes, subalbidosque, folia serrata, Origani, et flores candentes, oblongos, et marsupiis similes, sed bacillis quibusdam extra prodeuntibus longiusculis, et in parva capitula

desinentibus; fructum verò cerasorum figura, sed ciceris tantùm magnitudine, coccineum. Ad Malvarum quoque species videtur pertinere, frigidaque, et lubrica constare natura. *Panucenses*, apud quos nascitur, ajunt folia tusa, et devorata dysentericis mederi, et placare tenesmum.

CAPUT X.

De TZOTZOCOLXOCHITL.

Arbuscula est, quam Mexicani *Quapatli* vocant; sub quo nomine aliàs a nobis descripta est. Ajunt *Panucenses* tussi mirum in modum prodesse; apud quos nascitur altera species vocata *Tziquahuitl* eadem paene forma, frigidaque, adstringenti, et sicca temperie, et ad Acaciae quoque species referenda: cujus decocti jus ait eadem gens ulceribus oris mederi, dentes verò extergere, atque firmare, et mederi putridis ulceribus, ac eorum putrescentem carnem absumere.

CAPUT XI.

De TZATZECUA, seu re sonanti.

Radicibus innititur albis, multis, crassiusculis, et similibus Asphodelo, unde proferuntur folia angusta, et praelonga. Radix est expers saporis, frigidaque, et impensè glutinosa, et tamen maturare dicitur praeter naturam tumores, et hunc esse ejus praecipuum usum, quamvìs solidandis fractis

ossibus, aliisque agglutinandis mihi quidem videatur aptissima. Provenit saxosis, temperatisque locis Provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT XII.

De TUCURETZCUA, *seu Bubonis facie.*

Arbor est dena ferens folia juxta ramos extremos, illis Mali Medicae similia, verùm magis acuminata, et quae inferiora sunt, valde minora, praecipuè duo postrema, quae Olivae folia non excedunt magnitudine; flores verò, ac fructum collectum in acervos. Sapor est amarus, et nonnihil acris; vis verò calida, et sicca, ac praecipuè ipsius fructus. Stipites, ac folia tusa, et illita, aut inspersa ventri dicuntur sistere dysenterias. Nascitur in collibus frigidis juxta *Tancitari* oppidum Provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT XIII.

De TÓMA.

Genus est Urticae in Arboris magnitudinem adolescens, foliis sinuosis, et magnis, spiniferisque, et hirsutis; luteis, candidisque floribus, et stipitibus laevibus. Sapor est amarus non sine quadam acrimonia, calefaciensque, et exsiccans vis. Jus decocti ejus in spissitudinem coactum dicitur vetustis plagis mederi, ac dolorem hepatis tollere. Nascitur in frigidis, calidisque locis Provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT XIV.

De TARÉPENI, *vel Tuxten.*

Herba est radici fibratae insistens, unde prodeunt caules lignosi, et tenues, teretesque, et ornati per intervalla foliis rutaceis, thymum, si contundantur, olentibus, floribus verò rubeis, Betonicae altili similibus, sed modicis, et vasculis oblongis contentis. Amara est, nonnihil acris, calidaque, et sicca ordine tertio natura. Tussi medetur tusa, unde nomen, et ad Tragorigani genera videtur pertinere.

CAPUT XV.

De TUXTEN, *vel Tarépeni altera.*

Frutex est folia ferens saligna, serrata tamen, et stipites lenta refertos medulla. Amara est, vulpeculam olet, et calefacit ordine tertio. Jus decocti foliorum infusum urinam evocat. Nascitur in calidis *Apacincani.*

CAPUT XVI.

De TOMOQUAHUITL.

Allata est ad nos a *Chichimecis* radix amara, et tussi utilis, longa, ac digiti crassitudine; de cujus Herbae partibus reliquis nihil praeterquam nomen, ac vires accepi.

CAPUT XVII.

De TLAQUALIZPATLI.

Offendimus apud *Panucenses* Herbam Malvae similem, foliis mollibus, hirsutis, et Malvae figura, sed dissimili fructu, quam Abutilon esse vocatum ab Avicenna putavimus; mirum enim in modum illi effigies respondebat; quamobrem delineandum non putavimus. Ajunt semen ejus tusum, ac devoratum ex aqua utile esse his, quibus amarum est os, sopitaque appetentia. Frigida videtur, ac salivosa natura, et saporis expers.

CAPUT XVIII.

De TEOQUAHUITL.

Vasta arbor est nascens in montibus calidis, et humidis regionis *Panucensis*, foliis Mali Medicae figura, sed paulò minoribus, materie intestinis operibus apta, levissimaque, neque suberneo cortice graviore, et fructu longiusculo, minimè eduli, supernè coccineo, et nucleum nigrum includente, et florem, ut ferunt, nullum. Cortex est amarus, adstringensque, quem ajunt exanthematis, quae variolas vocant, mederi.

CAPUT XIX.

De TZINTZOP.

Volubilis est foliis Nasturtii Peruini, aut Umbilici Veneris nostratis, et floribus, ut ferunt, nullis. Sapore insigni caret, frigida, et glutinosa constat temperie, et dysentericis medetur. Nascitur in calidis, humidisque, et Arboribus virentibus locis Provinciae *Panucensis.*

CAPUT XX.

De TEPEICXILI.

Radici innititur orbiculari, sed desinenti in surculum, dulci, salivosaeque, et nonnihil lancinanti, unde profert folia porracea, sed longè majora, florem candentem, longum, latumque, fructum parvum, et pallentem, cerasis forma similem, minimè edulem, includentem semen exile, et luteum. Jus decocti foliorum, radicisque tusorum, ter quotidie bibitum, curat ictericos vacuata prorsus per urinam causa morbi. Nascitur in calidis, humidisque, et irriguis locis Provinciae *Panucensis.*

CAPUT XXI.

De *TZABALAPATZ.*

Radici insistit bulbosae, parvaeque, et fibratae, unde profert folia Croci, sed pauciora, ac latiora, et flosculum candentem. Radix est calida, et sicca gradu quarto, acris, et subamara. Tumores praeter naturam apposita discutit, ac duarum drachmarum pondere devorata corpus infra, supraque vehementer vacuat. Nascitur in calidis, humidisque locis regionis *Panucensis* circa montium praerupta.

CAPUT XXII.

De *TZOPELICXIHUITL.*

Herba est radicibus insistens capillatis, et tenuibus, unde profert teretes, ac tenues caules, et in eis folia per intervalla bina, ocyminis similia forma, et magnitudine, sed aliis minoribus ex eisdem exortibus prodeuntibus, necnon et flore candido, longiusculo pediculo appenso, parvis, oblongisque spondylis simili. Hujus Herbae folia adeò dulcia sunt, ut mel ipsum, saccharumque, et quaecumque alia dulcedine praestant, longè inferiora videantur: itaque in hac una Planta visa est natura periclitari quantam dulcedinem posset rebus naturalibus impertiri: neque sua caret utilitate; nam febres sedant folia devorata ex aqua, tussim, ac

raucedinem placat potatus succus, et appetentiam excitat. Nascitur in calidis, humidisque locis, montosis, ac planis, et juxta fauces montium *Panucensium.*

CAPUT XXIII.

De *TLALPOCHOTL.*

Herba est nascens juxta saxa, et humida loca regionis *Panucensis*, tenuibus, succo manantibus, atque subdulcibus caulibus, foliis ocyminis, sed obrotundioribus, et flosculis albis. Tota Planta Nitedulae modo splendet per noctes. Insipida est, frigida, et glutinosa, atque ita tusa, et ex aqua devorata dysentericis maximè confert.

CAPUT XXIV.

De *TLANQUACHICHIQUILI.*

Herba est radici fibratae insistens, unde profert caules, et in eis folia obrotunda, et serrata, infernè subalbescentia, florem verò, ac fructum, ut referunt, nullum. Sapor radicis amarus est, et resinosus, odor gustu jucundus, ac vis tertio ordine calida, et sicca. Herba haec admista Plantae vocatae *Tociyzquiuz* dysentericis medetur; folia verò tusa, et applicata bubones, et furunculos discutiunt. Nascitur in calidis, et humidis *Panucensibus* procul ab aquarum defluxionibus.

CAPUT XXV.

De TECOLOTENTZONTLI *Panucensi.*

Herba est dodrantalis, humidis locis regionis *Panucensis* proveniens; radix fibrata, caules tenues, teretesque, folia terna, crenata per ambitum, longiuscula, et angusta, et flores, ut referunt, candentes. Frigida sunt, et salivosa folia: radix autem primò dulcis, et nucibus ponticis sapore similis, postea verò nonnihil amara, et acris. Medetur ulceribus, et dysenteriis. Nascitur etiam *Mechoacani*, ubi *Cuinicuicumanchucuam* vocant.

CAPUT XXVI.

De TLAPECHMECATL, *seu fune lecti.*

Radici insistit surculosae, resinosaeque, odorae, et nonnihil amarae, unde profert caules ornatos foliis Mali Medicae, sed per ambitum serrae modo crenatis, et floribus luteis. Vis est calida, et sicca ordine fere tertio. Jus decocti foliorum partum adjuvat, et si ante tempus epotetur, facit abortum. Provenit quibusque locis regionis *Panucensis.*

CAPUT XXVII.

De TEOTLACXIHUITL.

Herbula est radicibus firmata tenuibus, unde profert

caules tenues, refertos foliolis praelongis, et angustis, frumentaceis similibus, ferentes circa summum flosculos albos. Frigida videtur constare natura, ajuntque devoratam ex aqua, et permista Ophioglosso, quam haec gens *Atonahuizpatli*, seu *Yolylacatz* vocat, opem ferre his, qui recens insanierunt. Provenit juxta semitas regionis *Panucensis*.

CAPUT XXVIII.

De TZINACANATLAPALLI.

Nomen invenit a similitudine foliorum cum alis Vespertilionum, quibus nihil est illis similius; quae fert in caule volubili, complanatoque, et utrinque in aciem quamdam desinente, non sine capreolis ab exortu singulorum foliorum exorientibus, quibus adhaeret Arboribus, per longa intervalla, et fructum nuclei expertem, haud dissimilem *Ahuacatl*, cavum, viridem, et minimè edulem. Succus foliorum instillatus morbis oculorum medetur, clarificatque, et argemata discutit. Nascitur inter Arbores regionis *Panucensis*.

CAPUT XXIX.

De TLALCOCOL *Atotonilcensi*.

Herbula est radicibus insistens longis, et tenuibus, unde prodeunt caules exiles, ac dodrantem longi, referti foliolis asperis, hispidisque, longiusculis, et angustis, et flo-

rem, ut ferunt, nullum. Amara est, atque ideo calefaciens. Radicum succus ore suctus, admotusque dicitur mederi oculis diuturno rubore, atque inflammatione perfusis. Provenit in frigidis, siccis, et planis locis procul ab aquarum defluxionibus.

CAPUT XXX.

De TATZIRINI, *seu Filice.*

Filicis videtur species, cui omnino similis est, sed foliis exilibus constans, et radice Zarzaeparrillae admodum simili. Medetur dysentericis frigida, et adstringenti, qua praedita est, vi. Nascitur in frigidis collibus Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXI.

De TZINOMA.

Herba est radici insistens surculosae, et crassae, unde profert caules duos dodrantes plùs, minùs longos, in eisque folia orbicularia, Nummulariae vocatae similia, alternatim toto caulis procursu disposita, ac in summo flores luteos, comantes, vasculis longis contentos. Folia coriani saporem, et odorem quadantenus referunt; radix verò calida, et nonnihil glutinosa temperie constat: quamobrem Indi, quibus hujusmodi exanthemata repellere mos est, punctis, quae febres acutas consequi solent, ajunt tusam, atque illitam mederi. Nascitur in temperatis collibus regionis *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXII.

De TZITZIQUI, *seu Flore.*

Herba est radici insistens prolixae, ac tenui, unde mittit cauliculos teretes, ac fulvos, ornatos foliis longiusculis, angustis, et serratis, et in summo floribus luteis, Chrysanthemo similibus, et scariosis vasculis contentis. Sapor est acris, et vis calida, siccaque ordine tertio. Jus decocti radicum infusum urinam evocat, et frigidis renum affectionibus opitulatur. Nascitur in planis regionum frigidarum, humidarumque Provinciae *Mechoacanensis*, necnon *Xilotepeci*, ubi *Huitzocuilcuitlapilpatli* vocant.

CAPUT XXXIII.

De TARECHO, *seu Gallo Herba.*

Herba est radici insistens crassae, et longae, unde profert caules, et folia subalbida, quae Ocymi figuram imitantur, flores verò prolixos, et ex cyaneo rubescentes. Sapor radicis est dulcis, ac vis nonnihil glutinosa, et calida. Succus foliorum instillatus dicitur mederi morbis oculorum, et eorumdem argematis opitulari. Provenit in frigidis collibus Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXIV.

De TZÁTZEQUA.

Herba est radici insistens candidae, molli, et glandi simili, in fibram tamen praelongam desinenti, e qua funduntur multi ramuli, ornati foliis longiusculis, et angustis, extremis tamen latioribus, ac floribus coccineis. Sapor radicis est acris, ac temperies ordine quarto calefaciens, et exsiccans. Radix tusa, atque applicata ulceribus pudendorum medetur. Nascitur in frigidis, planisque locis regionis *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXV.

De TLANATONAHUIZPATLI Hoexotzincensi.

Herba est radicibus innixa fibris similibus, unde prodeunt caules tenues, ac teretes, sesquidodrantem longi, et in eis folia rara, obrotunda, et Veronicae vocatae Herbae propinqua, ac flores parvi, et lutei. Vis radicis est acris, calidaque, et sicca ordine quarto, et Pyrethro facultate haud absimilis; ideoque dentibus admota eorum dicitur sedare dolorem, ac duarum, triumve drachmarum pondere tusa, haustaque asthmaticis conferre. Provenit *Hoexotzinci* humidis locis, ac pluviarum tempore assurgit.

CAPUT XXXVI.

De *TEQUACHOCHÓLLI* *Hoexotzincensi.*

Herba est radici innixa napo simili, unde prodeunt caules volubiles, ornati foliis tricuspidibus *Coanenepilli*, sed venis secundùm longitudinem discurrentibus, ac virentibus, ut ferunt, flosculis. Vis est frigida, humidaque, et salivosa; atque ita hectica febre detentis radix semunciae pondere devorata dicitur conferre. Provenit humectis locis, ac montium faucibus regionis *Hoexotzincensis*, vicinas Arbores amplexa.

CAPUT XXXVII.

De *TLALMATZALIN* *Hoexotzincensi.*

Herba est radicibus innixa parvis napis similibus, unde proferuntur caules tenues, et quadrati, dodrantem plùs, minùs longi, et in eis folia Amygdali longa, et angusta, serrataque, unde nomen; flores verò per intervalla exiles, atque purpurei. Folia sunt odora, et nonnihil calida, verùm radix frigida, siccaque visa est, odorisque, et saporis ferè expers. Eadem trium drachmarum pondere tusa, et cum quatuor granis *Cacaoatl* resoluta ex aqua, atque epotata dicitur corpus leniter purgare, mundare vias urinae, nimiumque contemperare calorem. Nascitur humectis locis, ac montium faucibus regionis *Hoexotzincensis.*

CAPUT XXXVIII.

De TLATLACIZPATLI.

Herbula est radicibus capillis similibus insistens, unde prodeunt cauliculi tenues, brevesque, et in eis folia Origani minutim serrata, flosculi candidi, atque exile semen. Amara est, et nonnihil lubrica, atque ideo tussi dicitur mederi, et ei, quae est a capite, defluxioni, si ex aqua drachmae unius pondere potetur, maximoque praedictis morbis remedio esse. Nascitur apud *Hoexotzincenses.*

CAPUT XXXIX.

De TLALCHIPILLIN *Hoexotzincensi.*

Herba est radicibus insistens fibris similibus, unde proferuntur caules sesquidodrantales, teretes, ac tenues, et in eis folia Origani, nonnihil serrata, ac flores candentes, e quibus demum vascula progignuntur, quae hiantia semen candidum, rotundum, ac exiguum ostendunt. Radix est nonnihil calida, et salivosae naturae. Eadem duarum drachmarum pondere devorata omnes humores dicitur eximiè per inferna purgare, estque hujusmodi pharmacum apud indigenas habitum in magno pretio. Provenit imbrium tempore circa loca humida regionis *Hoexotzincensis.*

CAPUT XL.

De TLALCHAMOLIN *Hoexotzincensi.*

Herbula est radicibus insistens surculosis similibus, lignosisque, unde proferuntur caules valde tenues, teretes, et nigri, et in eis folia parvula, et oblonga, binaque per intervalla, et flores, qui coccinei sunt, semen, et caulem ipsum amplectentes. Leguminis praefert saporem radix, ac frigidam temperiem, aequalemve. Eadem tusa, ac cum resina terebinthina adjecta furunculorum jam hiantium saniem exsiccat, carnem generat, ac demum ulcera cicatrice obducit. Nascitur in humidis *Hoexotzincensibus.*

CAPUT XLI.

De TEMECAXIHUITL *Chulullensi.*

Herba est e fibratis radicibus caules volubiles fundens, et in eis folia Populo nigrae similia, eduliaque. Radix est nonnihil dulcis, ac primo ordine calens. Tumores pedum a frigida causa ortos ajunt impositam discutere. Nascitur in humidis locis regionum frigidarum, qualis est *Chulullensis.*

CAPUT XLII.

De TOTONCAPATLI *Chulullensi.*

Radicibus insistit Batatae vocatae similibus, unde profert caules hominis altitudine, et in eis folia Limonis, in summo verò florem candentem. Radix est amara cum quadam dulcedine, pertinensque ad gradum secundum caloris. Jus decocti ejus bibitum dicitur sedare totius corporis dolores; inspersus verò pulvis ulceribus mederi. Provenit in humidis locis Provinciae *Chulullensis.*

CAPUT XLIII.

De TZONTZONAHUEHUETL *Chulullensi.*

Herba est fibratae insistens radici, ex qua profert folia longa, Gramini similia, sed longè angustiora, cauliculos tenues, ac teretes, duos dodrantes plùs, minùs longos, et summa parte spicatos. Vis est frigida, et sicca, sapor verò, ac odor ferè nullus. Pulvis ejus inspersus pustulis gallica contagione infectis dicitur mederi, epotusve drachmarum duarum pondere. Provenit imbrium tempore humidis in locis regionis *Chulullensis.*

CAPUT XLIV.

De TLACHINOLXIHUITL *Chulullensi.*

Herba est caules proferens teretes, et in eis folia Verbenacae rectae, oblonga, et crenata, lineisque secundùm longitudinem procedentibus distincta, ac flores oblongos, luteosque, vasculis contentos, et appensos pediculis longis ab exortu foliorum utrinque prodeuntibus. Calida est, et sicca ordine quarto, et guttur urens, ac fortassis a Ranunculorum, Aconitorumve genere non plurimùm distans; quamvis foliorum forma, ac florum exortu differre videatur. Scabiei dicitur mederi illita, ulceribusque, ac pannos recludere, atque extergere, et carnem supervacaneam absumere. Provenit in humidis locis regionis *Chulullensis.*

CAPUT XLV.

De TECAMILLIN *Chulullensi.*

Radicibus insistit dodrantem ferè longis, ac pollicem crassis, unde proferuntur caules; et in eis folia Limoniae Mali. Radix, quae succo manat, saporis est nonnihil resinosi, odora gustu, calidaque ordine secundo, et guttur paululùm urens. Eadem tumores praeter naturam dicitur applicata discutere, et podagricis mederi. Provenit in locis siccis regionis *Chulullensis.*

CAPUT LXVI.

De TLAXHUIZPATLI *Chulullensi.*

Radicibus insistit surculosis, et inde profert caules volubiles, ornatos foliis raris, longis pediculis appendentibus, et Solano forma similibus: floribus verò, ut ferunt, candentibus, ac parvis. Radix est calida, sicca ordine plùs, minùs secundo: quo fit, ut pulvis ejus inspersus ulcera extergat, ac demum cicatrice obducat. Provenit juxta sylvas, ac montosa loca convoluta Arboribus, totoque anno reperitur virere.

CAPUT XLVII.

De TZINCOCOPI.

Herba est Mayzio similis foliis, floribus, spicisque: verùm minoribus, et inutilibus, velut Plantae, in quam Frumentum ipsum Indicum degeneret, quaeque stirpis suae strages sit.

CAPUT XLVIII.

De COYOXOCHITL *Huehuetocani.*

Herba est radici innixa crassae, et longiusculae, unde profert longos pediculos, et in eis folia fissa, ficuneis proxima, subhirsuta, aspera, cinereaque, nec Colocynthidis, cujus videtur species, admodum dissimilia: et flores candentes Melopeponum instar. Radix est valde amara, cujus drachma

tusa, atque devorata pituitosos humores affatim vacuat, quemadmodum experimento ipso a nobis compertum est. Nascitur *Huehuetocae* in planis, frigidisque, ac siccis locis.

CAPUT XLIX.

De TLACAYOLOPATLI *Tehoacanensi.*

Genus est Cucurbitae agrestis, radicem proferens crassam, longamque, et forma napo similem, unde profert caules per terram sparsos, et in eis folia Cucurbitae, floresque cucurbitinos, ex quibus fructus generatur Colocynthidi similis, sed desuper asperior, atque strigosior. Radix valde amara est, gravisque, et vehementis odoris, cujus sesquidrachma, drachmaeve duae ex aqua resolutae, atque epotae pituitam, ac ustam bilim vacuant. Nascitur *Tehoacani* calidis, et siccis locis.

CAPUT L.

De VEXOPATLI.

Arbuscula est foliis Olivae, luteis floribus, et siliquis phaseolorum forma. Amaro sapore constat, et tumores praeter naturam applicata discutit. Nascitur in calidis *Panucensibus.*

CAPUT LI.

De HUACUICUA, *seu somno Animalis Huacuiayae nomine.*

Volubilis est e radice tenui caules exiles proferens, tere-

tes, hispidosque, et in eis folia rara, Hederae figura, sed angusta, et longa, ac flores coccineos. Insigni videtur sapore carere, et tamen jus decocti ejus infusum alvum lenit, ejusque dolorem, contractum praecipuè ex algore, levat: pulvis verò duarum drachmarum pondere devoratus asthmati citata expuitione, et vomitione pituitae, ac bilis medetur. Nascitur temperatis locis, planisque, et humectis *Uruapae*, ubi magno habetur pretio.

CAPUT LII.

De MURAPETI, seu medicina alba.

Herba est teretes fundens caules, et in eis folia rara, Mali Medicae non dissimilia, et siliquas pares *Chilli*, octo uncias longas, refertas semine fulvo, ac lanugine, cui appendet, bombycinae simili. Frigida, siccaque videtur constare natura, et vetustis plagis radix laevigata, atque inspersa medetur. Nascitur in collibus temperatis *Uruapae* Provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT LIII.

De HUCUIRO.

Herba est radici insistens tenui, et longae, unde prodeunt folia pediculis appensa prolixis, Salviae proxima, serrata, infernè subalbescentia, et circa exortum latiora, ac flores

promiscuè cyanei, et coccinei. Odor, saporque est Italicae Nardi, quam Lavendulam vocant, calidaque, et sicca temperies. Medetur dolori ventriculi, et alvi, bilimque, ac pituitam vomitu pellit, si cocta, et calens apponatur ventriculo, idemque auxilium altera tantùm die repetatur. Nascitur in jugis, et temperatis montibus Provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT LIV.

De HUXUCUA.

Arbor est *Uruapae* Provinciae *Mechoacanensis*, fulvi stipitis, ac corticis subfulvi, globulis vocatis precariis, et aliis intestinis operibus perficiendis aptissimi. Cujus nullum praeterea usum accepi a *Mechoacanensibus*.

CAPUT LV.

De HUCUMUCHETI *altera*, *seu cauda Tucae.*

